THESAURUS LINGUARUM ORIENTALIUM, TURCICAE, ARABICAE, ...

Franciscus a Mesgnien Meninski





THESAURUS
LINGUARUM ORIENTALIUM
TURCICÆ, ARABICÆ, PERSICÆ,
Præcipuas earum opes à Turcis peculiariter usurpatas continens

NIMIRUM

LEXICON
TURCICO-ARABICO-PERSICUM
Non solùm vocum tàm simplicium quàm conjunctarum copiâ maximâ refertum, sed etiam innumeris phrasibus locupletatum,

Quarum

Quæ Turcis usitatæ aut communis usûs sunt, LATINÈ, GERMANICÈ, ITALICÈ, GALLICÈ, POLONICÈ; *quæ non adeò vulgares, in libris tamen & literis non infrequentes*, LATINÈ & ITALICÈ; *quæ porrò rariùs in usum veniunt, nec nisi in libris profundioris doctrinæ inveniuntur*, LATINÈ *tantùm explicantur*

&

GRAMMATICAM TURCICAM
Cum adjectis ad singula ejus capita
PRÆCEPTIS GRAMMATICIS ARABICÆ & PERSICÆ LINGUÆ

OPUS
Interpretibus præcipuè, aliisque earundem linguarum studiosis ad intelligendum omne genus Literarum Librorumque apprimè utile ac necessarium
Doctis quidem in compendium laboris, Tyronibus verò in manuductionem ad illas linguas concinnatum, ac non tantùm ex usu, sed ex probatissimis quibusque Orientis Authoribus collectum & in lucem editum

Operâ, typis, & sumptibus

FRANCISCI à MESGNIEN MENINSKI
SS. Sep. Equitis Hierosolymitani, Sac. Cæs. Majest. Consiliarii, ac linguarum Orientalium Interpretis primarii.

CUM GRATIA & PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.

VIENNÆ AUSTRIÆ, M. DC. LXXX.

SACRATISSIMÆ MAJESTATI

LEOPOLDI

ROMANORUM

IMPERATORIS

SEMPER AUGUSTI,

GERMANIÆ, UNGARIÆ, BOHEMIÆ

REGIS,

ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, &c.

PRINCIPIS O. M. DOMINI MEI CLEMENTISSIMI.

SI religiosæ licuit antiquitati ereptum maris fluctibus thesaurum Delphico suo Numini consecrare, liceat, precor, & huic Operi, MAXIME CÆSAR, Augustissimum Nomen Tuum inscribere. Etsi enim non aureum hic statuam tripodem, triadem tamen Orientalium Linguarum Numini, quod in Tua DEO proxima Majestate majus Apolline ac mitius agnosco venerorque, pronus prostratusque offero. Thesaurum licuit dicere, non sterili quidem metallo, sed omnium fœcundissimâ inter mortales utilissimâque constantem materiâ. Eccui verò quam Cæsari rectiùs tribuatur Cæsaris quod est? Si, quod ajunt Leges, thesaurus effossus fundi dominium sequitur, Tuæ Majestatis jure est hic ex me profectus, & quidem Linguarum thesaurus. Nam Lingua, si nihil profundit nisi à corde acceptum, quippeni Tibi cordium Domino cedat & linguarum tributum? Orientalium verò Linguarum thesaurus quòd est, justiore nemini titulo, quàm Cæsari, Eique Austriaco debetur. Quòd Cæsar es, Te Oriens spectat antiqua Præcessorum Tuorum possessio. Quòd Austriacus es, Regnorum Tuorum situs, & inprimis vires contra notum per duo & amplius jam secula hostem tot cum triumphis exercitæ, illam Te in hæreditatem vocant. Hoc jure quodam suo exigit Dalmatia Tua, cæteræque Pannoniæ quondam (heu quondam!) appendices terræ quoscunque in nutûs paratæ. Hoc gemens precatur Græcia, & graves vinculis protendens manus supplicat. Hoc in Asia suspirant Christum professæ tot Nationes. Hoc Advocato Ducique suo vovet Ecclesia. Hoc Danubius iste Tuus pollicetur, qui eatenus liber, quà Tuus est, dum barbaram servitutem, nisi quòd velut monstret fluxu suo quò eundum sit, cæterà invitus subit, optat Tuo in Imperio ut oriri, sic emori. Hoc quies paxque novissimè Tuis Auspiciis nobis reddita suadet. Hoc idem Tibi promittit gloria nominis Tui, ut qui sub initia imperii duos ex ordine Reges, nuper etiam Rempublicam hujus ævi clarissimam ab interitu vindicâ-

dicâsti, patiaris victorias fortunamque Tuam illis quoque prodesse, quibus jugum, jugum inquam barbarum non impendet ampliùs sed jam tot seculis incumbit. Est & aliud quidpiam isthanc nobis felicitatem quod spondeat, vagiens adhuc in cunis Hercules, SERENISSIMUS JOSEPHUS TUUS, pupilla Regnorum Tuorum, spesque tot animorum ex unius anima pendentium. O exaudiat DEUS vota nostra, augeatque Principi Puero immò acceleret è nostris annos! O ut faxit, ne vanus sim vates! Venient tempora, & citò venient, queis Ille verè Hercules Tecum Atlante suo divisum excipiens Martium onus, post sumptam à quovis hoste de injuriis genti patriæque suæ illatis justissimam vindictam, versis mox in Orientem piissimis armis, expurget Europam à belluis, & fixo in Basilica Justinianæa crucis Trophæo, canos aliquando Tuos, FELICISSIME LEOPOLDE, de recuperato Orientis Imperio victricibus manibus suis laureâ circumdet triumphali. DEUS exercituum, DEUS victoriarum, O CÆSAR, O AUGUSTE, DEUS qui transfert Regna de gente in gentem hâc gloriâ cumulet Majestatem Domumque Tuam. Cæterùm de libro, de autore quod addam non habeo, nisi quòd muneris humilitatem intuenti solatio sit, abundè illum dedisse, qui quæ habuit omnia dedit. Nam præter animum linguamque & hujus vicariam manum, sunt qui jam pridem mihi reliquum fecerunt propè nihil: & has ipsas mei partes quòd adhuc possideam, Tuo munere, O DOMINE, Tuo unius præsidio factum est. Et linguæ igitur & animi symbolum mei venit hic liber, eoque iterum nomine debetur Tuæ Majestati hic qualiscunque industriæ meæ partus: quem Benjaminum libenter dicerem, quippe tot per acerbitates atque ærumnas in lucem editum, nisi postremi fatalisque partûs omen aversarer, qui, quoad spiritus hos reget artûs, publico rei Christianæ commodo me studiaque mea porrò dedicavi. Tituli ambitionem non vereor, thesaurus enim si est antiqua depositio, fide meâ in Majestatem Tuam antiquius habeo nihil: quam tot expressam vicibus, tot votis hîc reiteratam cupio, quot in hoc opere leguntur voces, quot syllabæ, immò quot prostant literæ. Vive interim, MAXIME CÆSAR, Tibi Domuique & populis Tuis, bonisque omnibus, mihi denique, & conflictanti adhuc, si pateris, & inter quascunq; vicissitudines Tuæ S. Cæsareæ Majestati æternùm devoto

Humili ac fideli servo

Francisco à Mesgnien Meninski.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

L*EOPOLDUS Divinâ Favente Clementiâ Electus Romanorum IMPERATOR semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis: Quod cùm Nobis noster Sacrique Imperii fidelis dilectus* Franciscus Mesgnien Meninski, *Interpres noster Aulicus humillimè exposuerit constituisse se boni atque usûs publici æquè ac rei Literariæ amplificandæ causâ magno à se studio atque labore congestum* Thesaurum Linguarum Orientalium, Turcicæ, Arabicæ, Persicæ, *in Latino, Germanico, Italico, Gallico, ac Polonico idiomatibus interpretatum Typo etiam ad hoc Arabico propriis sumptibus procurato in forma folii præli beneficio publici juris facere, vereri autem, ne, quod aliàs perversi moris sit, alii etiam in messem hanc suam Literariam falcem immittant, sperato que inde laboris & impendii sui fructu ipsum frustrando, editionem hanc primam præpropere & vitiosè imitentur, demisse proinde supplicando, ut indemnitati hoc loci suæ* Privilegio nostro Cæsareo *consulere clementer dignaremur; Nos attentâ earum æquitate iiscè benignè annuendum duxerimus, prout hiscè annuimus, omnibus idcirco & singulis Bibliopolis, Typographis & Bibliopegis cæterisque quibuscunque rem seu negotiationem librariam exercentibus seriò & districtè atque sub pœna decem marcarum auri inhibentes & vetantes, ne eorum quisquam præter dictum Impetrantem ejusque heredes, aut eum, cui is vel ii desuper dederint licentiam, præfatum* Linguarum Orientalium Thesaurum, *in proximo decennio a prima editionis die computando intrà Sacri Imperii, Regnorumque & Dominiorum Nostrorum hæreditariorum fines in simili vel alio typo, aut forma integrè seu pro parte recudere, vel aliò recudendum dare, invehere & clam vel palam vendere atque distrahere, aut literas etiam dictarum linguarum impetrantis curâ sculptas imitari præsumat, quatenus comminatam pœnam ex semisse fisco, seu ærario nostro Imperiali & pro reliquo parti læsæ irremissibiliter pendendam incurrere & omnibus exemplaribus quocunque loco repertis (quorum sibi vel propriâ authoritate vel Magistratûs loci auxilio vindicandorum dicto Impetranti ejusque constituto Typographo vigore præsentium jus fasque sit) privari noluerit. Dummodo tamen præfatum* Opus *bonis moribus contrarii nihil contineat, & tenorem Privilegii hujus nostri præimpressum exhibeat, quatuorque ad minimum*

mum ejusdem exemplaria ad Cancellariam nostram Imperialem transmittantur. Mandamus universis nostris & Sacri Imperii Regnorumque & Provinciarum nostrarum hæreditariarum subditis ac fidelibus dilectis cujuscunque ordinis, conditionis, & gradus fuerint, præsertim verò locorum Magistratibus Ecclesiasticis & Sæcularibus, ne quenquam huic nostro Cæsareo Privilegio ullatenus impunè contravenire patiantur, quin ejusdem transgressores supradictis pœnis aliisque modis idoneis coërceant, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio Literarum manu nostrâ subscriptarum & Sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum. Quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ die tertia Mensis Maii Anno Millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, Regnorum nostrorum Romani decimo septimo, Hungarici vigesimo, Bohemici verò decimo nono.

LEOPOLDUS

(L.S.)

V. Leopoldus Guillielmus
Comes in Kinigseggh.

Ad mandatum Sac. Cæs.
Majestatis propr.
Christophorus Bauer.

PROOEMIUM CAUSAM ET MODUM OPERIS HUJUS EXPONENS.

QUOT populis jura dent suâ linguâ Turcæ, si te latet, Erudite Lector, edocebunt Authores quàm plurimi de rebus Orientis agentes, qui ad quadraginta Regna, centumque & plures Provincias Othomanico Imperio jugove subjectas enumerant; extra quas etiam tam latè patere Turcici idiomatis usum asserunt, ut id in multis dominii Persici Indiæque Orientalis regionibus, Regi ipsi Persarum ac ejus Aulæ familiare, & ubicunque vexilla Turcica & Tartarica erecta fuerint, in usu sit ac in honore. Etsi autem in multis Turcici Imperii Provinciis Lingua Arabica sit popularis & vernacula, cùm tamen earum Præfecti, Proreges, aut Gubernatores sint plerumque Turcæ, à Porta Othomanica ad illas regendas administrandasque delegati, in rebus quoque arduis unicum sit ad eandem Portam Subditorum confugium, Linguæ Turcicæ notitia fit omnino cuivis & ubivis necessaria. Quot porrò Principes circumquaque vicini, sive ratione confiniorum, sive mercimoniorum aliarumque agendarum rerum, cum Turcis commercium habeant, ipsi tibi dinumerandum relinquo, atque inde facili negotio eliciendum, quàm necessaria sit in Aulis Principum Monarcharumque præcipuè Europæorum sæpedicti Turcici idiomatis notitia, aut saltem ejus periti fidelesque requirantur Interpretes. Horum tamen non nisi perexiguum numerum reperiri constat, sive quisque, ut in Turcas tanquam nominis Christiani perpetuos hostes innato fertur odio, ab eorundem lingua quodammodo abhorreat, sive ejus addiscendæ difficultate deterritus laborem detrectet ac refugiat, sive aliâ quavis ratione ab ejus linguæ studio avertatur ac amoveatur. Prima certè aversionis ratio neminem movere debet judicio sano præditum, gnarum inquam commodorum, quæ ex linguæ hostilis notitia, vel in ipso hostilitatis exercitio, provenire possunt: secunda autem non nisi desides afficere potest; cùm enim virtus in ardua tendat, quò magis operosum censetur suscipiendum negotium, eò majori accenditur generosus animus desiderio difficultates obvias superandi, ac ad metam sibi propositam quoquo modo perveniendi, amplioris nimirum gloriæ præmia inde certò relaturus. Reliquas aversionis causas non examino, veluti, ut suppono, genii non facilè cogendi repugnantiam, defectum commoditatis, vel potissimùm habilitatis carentiam: quæ omnia nisi adsint, studio linguæ hujus operam dare & perdere unum ac idem esse existimo.

)(Vide-

PROOEMIUM.

Videtur quidem lingua Turcica purè sumpta omnium facillima, ex eo præsertim quod in ea unicum ac invariabile genus habeant nomina, quæ binis vix subsunt declinationibus; quòd propriè nulla habeat verba composita, & hæc quidem duas tantùm admittant conjugationes perpaucis à se discrepantes, quantitatem vix ullam seu accentum observet, liberrimâque scribatur orthographiâ. Verùm quia Turcæ passim adhibent alias linguas, vel ad supplendos defectûs linguæ suæ minùs fœcundæ, vel ad exornandam eandem origine aliàs barbaram & incultam: tum quia vocales seu vocalium signa rarò literis adscribunt, immò verò ipsa puncta diacritica literarum sæpe omittunt aut transponunt in scriptione, (typis enim non utuntur:) quia vox una iisdem omnino characteribus picta variè & variè legi, adeoque æquivocationes varias legenti parere potest, (ut vel ex una bilitera vocula در *Lexici pag. seu col. 2040. & seqq.* percipere potes:) atque ob alias demum rationes ex ipsa Grammatica eruendas: redditur longè difficillima, præsensque semper & applicatum Lectoris requirit judicium. Præter Græcam, Italicam, Sclavonicam, Ungaricam, ex quibus Turcæ desumpserunt multa nomina rerum sibi priùs ignotarum, permiscent passim tam in loquendo, quàm præcipuè in scribendo Arabicæ & Persicæ non tantùm voces simplices, sed etiam conjunctas & compositas, ac sæpe versûs & sententias integras, quibus sermones scriptave sua mirè exornant & amplificant, & quarum intelligentiam assequi vix aut ne vix quidem possis absque perfecta utriusque idiomatis notitia. Hinc fit, ut quicunque in Aula hac Cæsarea aut alterius cujusvis Principis perfectus linguæ Turcicæ Interpres dici cupit, necessariò Arabicis Persicisque literis imbui debeat, non secus ac ipsi Turcæ statim atque legere incipiunt, utriusque linguæ studio singularem navant operam, nec ullas deinceps scribunt sive ad suos sive ad extraneos literas, absque adscito ex vocibus phrasibusve Persicis ac Arabicis ornatu, elegantique intertextura: ita tamen, ut multi eorum minùs docti non internoscant Arabicas à Persicis Turcicisve, ex usu tantùm cujusque vocis significationem intelligentes sermonique adaptantes. Et quidem non multùm referre videtur in linguis, ut quis omnia, quæ profert aut scribit, ad etymologiam revocet, dummodo non peccet contra Grammaticam, quæ authoritate constare dicitur, non ratione. Sic Hispanus v. g. non tenetur exactè scire, quænam suæ linguæ dictiones ex Arabica proveniant, quæve ex Latina: immò multi optimè loquuntur latinè, qui nunquam ἄλφα, βῆτα audiverunt aut didicerunt, licet innumeras illa habeat adhibeatque voces Græcas. Atque idem censendum de aliis linguis. Quemadmodum autem in latinis perfectus nemo dicitur, quin Græcam etiam calleat linguam, adeoque in plerisque virorum doctorum libris videntur passim inspersæ voces phrasesque purè Græcæ, Græcisque characteribus pictæ: ita perfectus vix erit Interpres linguæ Turcicæ, qui Arabicam Persicamque non intelligat, & utriusque voces tam in loquendo, quàm in scribendo non intermi-

termiſceat. Item quemadmodum poſt prima ſtatim Grammaticæ Latinæ principia præleguntur ſtudioſis Rudimenta Græcæ: ita planè Turcæ cum ſuis procedunt diſcipulis reſpectu Arabicæ & Perſicæ. Poſtquam enim Turcica legere utcunque nôrunt, ſtatim prælegunt illis vocabularia quædam Arabico-Perſico-Turcica, & ſtrictâ quidem, ut memoriæ faciliùs inhæreant, oratione compoſita, e.g. لغة فرشته *lughatì feriſte* pro Arabicis, & شاهدي *ſâhidi* pro Perſicis: tum utriuſque linguæ Grammaticam tradunt, præſertim verò Arabicæ, maximè iis, qui ad altiores legum ſeu juris utriuſque aſpirant ſcientias, Arabicè quippe ſcriptas, totidemque ferè in Arabica lingua docenda inſumunt annos, quot noſtri in Latina: hæc enim apud nos eodem modo ſe habet, quo Arabica apud Turcas cæteroſque Mahometanos. Denique ſicuti Magiſter ille rideretur, qui linguæ Latinæ ſtudioſo prælegeret aut doceret ante omnia Grammaticam Græcam: ſic, meo judicio, judicii expers eſt ille, qui Linguæ Turcicæ addiſcendæ præmittit Arabicam. Quantumvis enim hæc Turcicam, uti Græca Latinam, exornet ac perficiat: cùm tamen ornamenta ſint rei jam exiſtentis additamenta, formam quodammodo perficientia, nulla eſt ratio, cur priùs hæc, quàm illam conquirat aut præparet quiſquam, nec enim ſtructura ornamentis adaptari debet, ſed hæc illi accommodanda. Eſt autem & alia potior adhuc ratio vetans, ne Linguæ Arabicæ Grammatica præmittatur Turcicæ; nimirum literarum elationis ſeu pronuntiationis modus. Qui enim ſemel vulgari Arabum pronuntiationi aſſuevit, vix unquam Turcicæ aſſueſcere poterit. Hi nempe leniter omnia & ferè Græcè efferunt: Arabes autem aſperè & plerumque ex gutture loquuntur: unde multò faciliùs doctus Turca Arabem imitari poterit loquendo, quàm Arabs Turcam. Vix enim ullus Arabum, gutturali quippe pronuntiationi aſſuetus, Turcica unquam ritè efferre poteſt, quin riſum audienti Turcæ moveat, ſuamque inhabilitatem oſtendat. Præterea Lingua Arabica literalis, prout à Noſtratibus docetur, à populari maximè differt, non ſolùm literarum pronuntiatione, ſed etiam vocalibus & nunnationibus, quarum nullam admittit novitve Arabum vulgus, ita ut Arabicam linguam perfectiſſimè hic edoctus quivis, ſi juxta ſuæ præcepta Grammaticæ aliquid Arabicè ſcribat, ab Arabibus quidem & literatis Turcis intelligi poſſit: ſed ſi idem proferat vel eloqui præſumat, aut à nullo Turcarum vulgive Arabici intelligatur, aut certè riſu excipiatur. Et hoc quidem, quia tam Turcæ, quàm plebs Arabum nullam primò admittit nunnationem, imò nullam vocalem ultimæ dictionis conſonanti ſuperpoſitam; tum quia diverſis ſingulas ferè ſyllabas vocalibus afficit Arabum vulgus: v.g. quod literaliter legimus عندك *yndeke*, *apud te*, Arabs effert *ândik*, ſeu ferè *endik*, & ſic de cæteris. Unde nocere potiùs, quàm prodeſſe videtur ad Turcicam linguam addiſcendam præmiſſum aut anticipatum linguæ Arabicæ ſtudium, adeoque ad hanc etiam non niſi Turca aut Turcicè doctus Magiſter eſt omni-

omnino accersendus: is autem ubi inveniatur, hic opus, hîc labor est.

Multi quidem scripserunt de Lingua Arabica, pauci de Turcica, pauciores de Persica. Extant copiosissima Lexica Arabico-Latina Raphelengi, Giggæi, Golii, Castelli, aliorumque; Persico-Latinum Castelli & Golii; Italico-Turcicum P. Bernardi à Parisiis Capucini. Extant pariter typis excusæ Grammaticæ Arabicæ Martellotti, Metoscitæ, Erpenii, Guadagnoli, Vasmuthi, aliorumque; Persicæ Ludovici de Dieu & alterius Authoris, cujus mihi nomen non succurrit: Turcicæ Maggii, du Ryer, Seamani, &c. Verùm præterquam quòd non ubivis reperiuntur dicti libri, singuli singulas unicè linguas docent præscindendo ab omni alia. Qui Arabica tractant, ad intelligentiam perfectiorem linguæ Hebraicæ, Chaldaicæ, &c. maximè verò ad Biblia polyglotta ritè intelligenda potissimùm respiciunt, nullâ prorsus Turcicæ, quam hîc pro meta studii operisque hujus nostri habemus, habitâ ratione. Qui Persicas ediderunt Grammaticas, minùs exactè & nimis vulgariter id effecerunt. Qui porrò Turcicas, vix aliquid de syntaxi ejus linguæ attigerunt, atque admodum nihil de constructione Arabicorum & Persicorum cum Turcicis, de nominibus eorum compositis, & maximè de annexione Substantivi cum Substantivo & Adjectivi cum eodem. Quapropter hæc omnia maximè ad perfectam lectionem elegantiorum librorum scriptorumve Turcicorum illis linguis permixtorum ac ornatorum necessaria esse considerans, quæ ego ex lectione complurium librorum scriptorumque elegantissimorum, & ex continuo per decursum 20. & plurium annorum tam publicè, quàm privatim Turcicæ linguæ exercitio mihi comparaveram atque annotaveram, polyglottophilis communicare, ac in publicum emittere jam pridem animo constitueram. Multa verò obstabant: me primò non satis à natura, à literis paratum sentiebam ad amplam & laboriosam Grammaticarum Lexicorumque edendorum suscipiendam provinciam: Officii mei me occupationibus identidem distractum, typos quoque hîc Arabico-Turcicos desiderari videbam: nec parùm ab eo me consilio deterrebat laboris & impensarum necessariò subeundarum immensitas. Cùm tamen interea temporis prodierint Simiæ quædam, aliquot, dico, Scioli, qui cùm Grammaticæ Arabico-Persico-Turcicæ prima rudimenta vix extremis attigerint labiis, immò verò literas ægrè numerare aut dignoscere possint, habilitate omni, seu, quod idem est, linguarum dono destituti, Magisterium nihilominus earum linguarum profiteri, scripta vitiis erroribuque scatentia, interpretationes falsissimas, vocabularia absurda, vitiosa, inconcinna typis mandare, sentinam, inquam, ineptiarum in orbem effundere, adeoque literariam Rempublicam inficere, linguas alioqui cultissimas fœdare ac deturpare non reformidant: ego notabili, quod inde in publicum, præsertim verò in Sacræ Cæsareæ Majestatis Domini mei clementissimi servitium emergere potest, damno obviam iturus, animum penè jam abjectum resum-

resumpsi, spretisque aut superatis obstaculis supratactis, præconceptum opus aggredi decrevi, accersito Chalcographiæ peritissimo Joanne Lobinger Cive Noribergensi, characteres typosve Arabico-Turcicos sat elegantes in ipso meo hospitio, tum reliquos ad idem opus requisitos incidi propriis sumptibus curavi, typographiam instruxi integram, & cum bono Deo manum operi admovens, Lexicon priùs, majoris quippe molis volumen, tum Grammaticam Turcico-Arabico-Persicam typis mandare aggressus sum: in quibus quid præstiterim, paucis tibi expono.

Primò Onomasticum Turcico-Arabico-Persicum plenissimum simulque phrasium elegantiorum & difficiliorum ad plerasque simplices voces occurrentium turbam collectam, & notissima alphabeti serie dispositam tibi, Amice Lector, exhibeo, cum explicatione omnium vocum & phrasium Latina: plurimarum, peculiariter Turcis usitatarum ac selectiorum Latina & Italica: Turcicarum autem aut in Literis librisque frequentium quarumcunque Latina, Germanica, Italica, Gallica, Polonica. Quod ideo feci, quia & multos ex illis quatuor Nationibus Interpretes novi Latinæ linguæ penitus ignaros aut valde imperitos, quibus etiam hoc opus meum prodesse, & omnibus satisfactum esse cupio. Tum quia non rarò proprietas dictionis aut phrasis Turcicæ unâ ex illis linguis meliùs exprimitur, quàm Latinâ aliàve fieri possit. Quotquot Arabicæ, Persicæ, Turcicæ voces in aliis Lexicis antehac impressis reperibiles sunt, in hoc meo Lexico continentur, cum hoc discrimine, quòd Arabica non juxta radicem cui derivata subjiciantur, sed secundùm ordinem alphabeti omnia singulatim exponantur. Etsi autem in primis duabus literis ا *elif* & ب *be* multæ voces desiderantur: id supplebitur appendice ad calcem operis adjectâ, in qua etiam, si quæ in aliis literis omissa memoriæ interea succurrerint, reperientur. Arabicas voces literulâ .. distinxi, Persicas literâ *p.* Turcicas literâ .. quas literas ubi non inveneris, ex quintuplici explicatione vel ex terminatione infinitivorum in مق *mak* vel مك *mek* agnosces esse Turcicas dictiones; ex desinentia in finalem ة vel ة seu ة & ex citatione Authoris Golii, quod sic abbrevio *Gol.* vel *G.* Arabicas esse voces intelliges: & tandem si quod vocabulum Persicum literulâ *p.* non esset notatum, ex citatione Authoris unde desumptum est Castelli, *Cast.* vel *C.* Persicum esse deprehendes. Singulas voces sive Turcicas sive Arabicas aut Persicas nostris characteribus tibi notavi, ad vitandam earum prolationem exoticam & pro quaque Natione variam. Qui enim Arabica docent, pronuntiari eas volunt aut docent eo modo, quo vulgus Arabum eas effert, aut certè quo Lectores Alacorani easdem enuntiare satagunt. Cùm autem eò potissimùm collimet opera mea, ut Turcicam linguam, prout modò in usu est, Arabicis ac Persicis vocabulis & constructionibus ornatam edoceam: eam hîc literarum syllabarumque ac vocum pronuntiationem invenies, quam omnes Turcæ in legendis suis eorumque libris constanter servant, observantque. Unde ad ritè efferendas certas nobis exoticas ac prolatu perdifficiles literas syllabasve, exco-

excogitandum necessariò visum est particulare alphabetum, cujus du-ctu voces omnes cum Turcis æqualiter & æquabiliter proferre ac efferre quisque possit, cujuscunque tandem nationis sit. Propono itaque tibi seriem characterum, quibus utor ad exprimendas literas syllabasve omnium vocum in hoc opere contentarum.

a, a Literam *a* sine nota aut accentu in Turcicis,& literam *a* in Arabicis & Persicis eodem modo leges aut pronuntiabis, hoc est clarè, ut *a Italicum aut Gallicum, seu ut á Polonicum & Hungaricum*; sed est naturâ suâ breve ad differentiam sequentis *ā*.

ā Effertur obtusè, ut *Austriacum a* in dictione Vatter / pater, ut *a Polonicum sine accentu* in dictione dam / *dabo*, & ut diphthongus Gallica *au* in dictione *haut*, *altus*: est enim semper longum & notabiliter debet protrahi.

b Proferri debet ut in Italicis, Gallicis & Polonicis, non verò ut in Germanicis, ubi confunditur sæpe cum *p*, vel cum *w*.

c Literam *c*, prout pronuntiatur ante *a*, *o*, *u*, seu ut *k*, nunquam adhibeo, sed loco illius pono ubique *k*.

ć Hoc *ć* cum accentu paulò fortiùs proferendum est, quàm Polonicum *ć* / rectè uti Italicum seu Romanum *c* ante *e*, & *i*, in dictione v. g. *cece*, *cicer*, & ferè ut Germanicum tsch.

ch Debet efferri paulò fortiùs, quàm ch apud Polonos, non autem cum tali sibilo & rasione, quâ suum ch efferunt Germani, sed liberiùs spiritum illum fortem ex imo gutture tractum emittendo citra compressionem oris.

d,e,f. Efferuntur ut in Gallicis, Italicis & Polonicis.

g.gh. *g* solum, prout pronuntiatur ab Italis, Gallis aut Polonis ante *a o u l* & *r*, nusquam adhibeo. Cùm enim Turcæ illud propriè nunquam sic legant, sed cum *h* unitum, ut sit *gh*, quod efferunt sicut moderni Græci suum γ *gamma*: sic ad exprimendum Turcico-Arabicum غ *ghain* utor literis *gh*, ubi debet simul cum *g* audiri aspiratio *h*.

ǧ Litera *ǧ* sic notata ad exprimendam Turcicam ج *ǧim* adinventa, efferenda est ut *g* Italico-Romanum ante *e* & *i*, ut in dictionibus *generale*, *generalis*, & *ginocchio*, *genu*, paulòque duriùs quàm dź *Polonicum* in dictione dźiki / ferus, quod scriberet Italus *gichi*. Ubi autem inveneris *ǧia*, *ǧiu*, vel *ǧio*, pro جا, vel جو, lege illud ad modum unius syllabæ, ut faceret Italus *gia*, *giu*, *gio*, & Polonus dźia / dźiu / dźio.

ģ Litera *ģ* cum superaddito parvulo ʻ pariter adinventa est ad exprimendam Persicam گ *ģef*, proferturque ut *g* durum cum admixto seu quasi adjuncto *i*, ut, si sequatur alia vocalis, faciat unicam cum ea syllabam, ut in monosyllabo گف *ģef* videre est, Gallus scriberet *guief*, vel *guef*, Italus *ghief*, Polonus gief / Hungarus verò scriberet *gyef*; aliàs Germanis prolatu accidit difficile, uti alia etiam multa.

h Proferenda est cum sensibili aspiratione ut in Polonicis, Germanicis & nonnullis dictionibus Gallicis.

i Pronuntiandum ut apud Germanos, Polonos, Italos sive sit consonans sive vocalis, sed pressè, dum est vocalis, ut ab Italis, Gallis profertur in voce *finis*, ad differentiam τοῦ *y*, quod longè aliter pronuntiandum, ut infrà dicetur.

ī Litera hæc sic notata nihil est aliud quàm *i* longum seu producendum ac notabiliter protrahendum in Arabicis & Persicis. Nota tamen, quòd, cùm in Arabicis idem *ī* immediatè sequitur alterum *j* consonans, tale *ī* pono ad compensandum - ut اذية exprimo *ezijet*, quod aliàs scribi deberet *ezijjet*.

j Consonans est ut in Italicis Germanicisque proferendum.

ĵ Litera hæc *j* tribus punctis supernè notata ad exprimendam Persicam ژ *je* adinventa est, efferrique debet ut Gallicum *i consonans*, aut ut *g* ante *e* & *i* apud Gallos in dictionibus v. g. *j'ay*. *habeo*, *general*, *generalis*, & planè ut ż Polonicum in dictione v. g. taż vel żążica / *Rebellio*, *erythrinus*.

k Legendum ut *k*, seu ck Germanicum, & k Polonicum, admixta aliquâ aspiratione gutturali.

Litera

k Litera hæc adinventa est ad exprimendam literam Turcico-Arabicam ك *kef*, proferenda simul cum *i* eo modo, quo diximus efferendum *g*, hoc est illud *i* simul cum *k* efferendo & cum sequente alia vocali unam syllabam efficiendo, ut كف *kef* monosyllabum scriberet Gallus *quief*, vel *quef*, Italus *chief*, Polonus kief.

l, ł Literam *l* profer ut in Germanicis, Italicis, Gallicis. Quòd si sit incisum aut cancellatum *ł*, respondet ł cancellato Polonico paulò leniùs pronuntiato.

m Pronuntiatur ut in Italicis, Germanicis.

n Pariter.

n- Sed cùm additur lineola sic *n-* adinventa est ad exprimendam Turcicam literam ڭ *saghyr nun* dictam, estque adulterinum *n* non integrè pronuntiatum, palatum nempe linguâ non feriendo, ut etiam in Latinis plerumque effertur *anguis*, *angustia*, *increpo*, *ingenuus*, &c. & ut in Gallicis *mon*, *meus*, *bien*, *bene*, *latin*, *latinus*, &c.

o Proferendum fere ut ó Polonicum in dictione wschód / ortus, seu ut *o Italicum & Gallicum pressum* in dictionibus *contra* & *contre*, *contrà*, hoc est, sono accedente ad *u*.

ö Hæc litera adinventa est ad exprimendum و *waw* otiosum post consonantem in Turcicis, & proferenda ut diphthongus Gallica *eu* in *peu*, *parum*, seu ut profertur tale *ö*, seu *ő* à Germanis superioribus in voce König / *Rex*, & ab Hungaris in voce öröm / *gaudium*, *quod Gallus fere scriberet* eureum.

p Ut in Italicis, Gallicis, Polonicis, nunquam cum *b* confundendum.

r Ut apud Germanos & Italos.

s, ſ Ut *ſ* Italicum ac Polonicum, & ut Gallicum *ſ* initiale.

ś Litera hæc *ś* punctata seu accentu notata ad exprimendam literam ش *ṡin* adinventa, profferturque paulò duriùs quàm Polonicum ś / & planè ut Gallicum *ch* in *cheval*, *equus*, aut ut Italicum *sc* in *scemare*, *minuere*, & omnino ut Germanicum sch in Schade / *damnum*.

t Ut in Italicis, Gallicis, & Polonicis.

u Litera *u* semper legenda ut vocalis; nam pro consonante adhibetur *w*. Proferatur autem ut à Germanis, Italis, Polonis, & ut *ou Gallicum*, aut Græcum ū.

ū Longum est & protrahi debet.

ü Litera *ü* cum duobus supernè punctis proferri debet ut *u* Gallicum, seu ut ů Populis superioris Germaniæ plerisque profertur, Italis aliàs Polonisque prolatu difficile.

w Litera *w* æquivalet consonanti *v*, prout profertur ab Italis, Gallis & Polonis, eodemque modo pronunciari volo, ut w Polonicum non finale, hoc est nunquam ut *f*.

y Legi debet medio quodam sono inter *e* & *i*, ferè ut Polonicum y.

ȳ Notabiliter protrahi debet.

z Pronuntiandum semper ut *z* Gallicum & Polonicum, non verò ut Italicum, Germanicum.

ʼ Nota hæc ʼ adinventa est ad exprimendam literam ع *ȧin* Hebraicæ ע respondentem, quæ quomodo sit proferenda, uti & cætera ad genuinam lectionem pertinentia habebis fusiùs in prima parte Grammaticæ, quò te remitto.

Hoc itaque meo alphabeto si debitè utaris, genuinam lectionem vocum tam Turcicarum quàm Arabicarum & Persicarum faciliori negotio assequêris, quàm si singulis literis notæ vocalium aut quietis superscribantur, quas etiam superscriptas in nullo ferè eleganti Turcico invenies libro.

Explicationem cujusque vocis sive simplicis sive compositæ aut conjunctæ habes immediatè Latinam plerumque simplicem, & ferè verbalem, cui adjungo significationes omnes & proprias & translatas, Turcis *pec.* usitatas, phrasesque circa illam vocem occurrentes ex probatis Authoribus decerptas subdo, latinèque pariter reddo, non quidem exquisitis, sed ferè obviis & primò in mentem venientibus verbis.

 Non

Non enim oratorem hîc ago, ſed ſimplicem vocum Interpretem; nec Latinam doceo linguam, ſed Turcicam: unde cui non placet mea latinitas, liberum erit, dummodo, quod ſpero, ſenſum utcunque intelligat, eandem phraſim in ſuam linguam aliter & perfectiùs clariùſve transferre pro ſua facundia, genio, libitu. Sæpe autem fiet, ut ſenſus, qui in latinitate propter tot occurrentes Turcicas metaphoras, allegoriaſque nobis non ita frequentes, videbatur aliquatenus abſtruſus, explicatione Italica, Germanica, &c. extricetur atque illuſtretur. Quæ enim Latinè ſolummodo reddidi, Arabica cùm ſint aut Perſica, ea ferè verbis Golii aut Caſtelli, (paucis, ubi opus fuit, additis,) explicui, uti in Grammatica pariter Arabica non infrequenter verbis Authorum rem eandem docentium uſus ſum immutatis.

Antequam autem vocem aliquam latinè reddam, ſi ea ſit Turcica, addo ei immediatè ſynonymas alias, ſi præſtò ſunt, Turcicas, deinde ejuſdem ſignificationis ſubdo Arabicam, tum Perſicam, ac demum eam explico Latinè, Germanicè, Italicè, Gallicè, Polonicè. Si autem vox explicanda ſit Arabica aut Perſica, adjungo illi vocem ſynonymam Turcicam cum explicatione Latina, & licèt aliarum linguarum non ſequatur additio, ex Turcica voce eas depromere tibi liberum erit. Atque ita uno ferè ductu, quomodo quid vocetur, octo Linguis ex hoc meo Opere ediſcere facili negotio poteris. Non pauca tamen nomina aut terminos opificum, *v. g.* officiorum, arborum, inſtrumentorum, piſcium, herbarum & ejuſmodi deſiderari hîc non diffiteor, quòd & infinita ſint & plerumque arbitraria, neque Latinè commodè reddi poſſint, & maximè, quòd pleraque ignorem: neque enim Cicero omnia illa novit, prout ipſe *4. de Finibus*, artificum vocabula ſibi ignota eſſe confitetur, quæ tamen ipſis uſitata ſunt, & ſine quibus illi artificia ſua tueri non poſſunt.

Interſerui è contra nonnulla vocabula Tatarica, ſeu, ut loquimur, Tartarica, & circa ipſam inflexionem nominum verborumque ejus linguæ, quæ, meâ quidem opinione, mater eſt Turcicæ, annotatiunculas in Grammatica invenies minutulis characteribus, vulgo *petit* dictis, deſignatas; cùm enim eorum Tartarorum, puta Crimenſium aut Precopenſium Chanus Legationes ad varios Chriſtianos Principes identidem expedire jam pridem cœperit, adeoque in Literis ejus multæ Tartaricæ inveniantur voces Turcis ipſis ignotæ; non te pigeat leviuſculam ſaltem ejus idiomatis contrahere notitiam. Multa præterea addidi vocabula barbara, ſeu à Turcis ex aliis linguis deſumpta ac in ſuum uſum detorta, cum deſignatione ex qua quodque lingua deſumptum ſit aut mutuatum. In explicatione vocum nonniſi perpaucas invenies Græcas, Hebraicas, Syrianas voces; harum enim linguarum minùs peritum me agnoſco.

Nomina Arabica fœmininæ terminationis in ة vel ه ſeu ة deſinentia, quamvis apud Turcas Perſaſque ſæpe ة mutetur in ت, aut non rarò demptis illis duobus punctis remaneat tantum ه finale otioſum,

ſum, ut v.g. سدّة *süddet* Limen, Porta, Aula, ſæpe Turcis سدّت *süddet*, ſæpiſſimè & ipſis & Perſis سدّه *südde* ſcribatur: illud tamen eo in loco invenies, ubi eſſet, ſi per ت ut hîc سدّت *süddet* ſcriberetur. Nec ad deſinentia in ه *he* refero, niſi aut quibus illud ه eſt radicale, aut quæ ſunt verè Perſica aut Turcica, non verò Arabica.

Infinitivos Arabum, quantumvis mera ſint nomina actionis, ſeu verbalia, verbi tamen caſum ſæpe regentia, reddo paſſim per infinitivum Latinum; tum quia non ex omni verbo Latino fit commodè nomen actionis, tum quia hoc idem ferè eſſe videtur cum infinitivo nominaliter ſumpto. Si primæ fuerit ille Infinitivus Conjugationis id tibi deſigno per *Act.* nullo addito; ſin fuerit alterius à radice derivatæ, id inter parentheſes noto, e.g. انتظار *intyzār* eſſe Infinitivum octavæ Conjugationis à radice نظر *nezere* compendio ſic deſigno [8. à نظر] & ſic de aliis. Si fuerit Participium activum primæ Conjug. ſigno tantùm *Part.* ſi alterius Conjugationis, intra parentheſes id noto, ut مسلم *müslim*, [*Part.* 2. à سلم] *i. e.* Participium Verbi ſecundæ Conjugationis, à radice سلم *ſeleme.* Si fuerit Paſſivum, *Part. paſſ.* & ſi alterius Conjugationis intra parentheſes id noto, *v.g.* مسلّم *müſellem*, [*P.p.* 2. à سلم] *i. e.* Participium paſſivum ſecundæ Conjugationis à radice سلم *ſeleme*, & ſic de aliis.

Quoniam verò non eædem apud omnes Grammaticos aſſignantur Conjugationes, ego Erpenium, Golium, Caſtellum ſecutus tredecim Verborum triliterorum ſtatuo ſequentes

1. فعل *fæ-ále, fæ-ȳle, fæ-ùle.* 2. فعّل *fæ-àle.* 3. فاعل *fā-àle.* 4. افعل *ef-àle.* 5. تفعّل *tefæ-àle.* 6. تفاعل *tefā-àle.* 7. انفعل *infæ-àle.* 8. افتعل *iftæ-àle.* 9. افعلّ *if-ālle.* 10. استفعل *iſtef-àle.* 11. افعالّ *if-àlle.* 12. افعوعل *if-àw-àle.* 13. افعوّل *if-àwwele.*

Quadriliterorum Verborum Conjugationes ſtatuo, cum prædictis Authoribus, quatuor, ſuntque

1. فعلل *fæ-lele.* 2. تفعلل *tefæ-lele.* 3. افعنلل *if-ànlele.* 4. افعللّ *if-àlelle.*

Notarum aliquot, quibus hîc utimur, declaratio.

[...] His plerumque notis includitur cujus Verbi Arabici ſit Infinitivus aut Participium, & quotæ Conjugationis, ſimul & à qua radice proveniat vox præcedens, uti ſuperiùs innui.

)(...) His includitur vocabuli explicandi oppoſitum, uti *albo* opponitur *nigrum, &c.*

.||. Indicat vocem ſequentem eſſe aut ſynonymam aut ſimiliter deſinentem. Turcæ nimirum his ſimiliter deſinentibus, ſeu conſonantiis vocum maximè delectantur.

¶ In Grammatica indicat ſequentia eſſe præcepta Arabicæ Linguæ, typis ideo, ut vocamus, curſivis expreſſa, ad differentiam Turcicorum & Perſicorum currenti typo excuſorum.

Lineola diviſiva - poſt *n* poſita denotat illud *n* non cum integro tinnitu proferendum, ut ſuprà explicui, *&* præterea ante literam *à æ ȳ ò ù* in medio dictionis poſita - denotat

tat propter duritiem literæ ع *ajn*, esse tantisper, imò necessariò pausandum ad extrahendum illum spiritum, quo debet efferri. Hujusmodi etiam divisiunculâ usus est in hoc casu Martelottus & alii.

Literula ع. admonet dictionem, cui additur, esse Arabicam: sic ف. Persicam: ت. Turcicam, ت. vel تت. Tartaricam.

ت. pro اتمك *etmek*, vel *itmek*, pro ايلمك *ejlemek*, vel قلمق *kylmak*, facere. Auxiliare quippe est frequentissimum, ideòque, ne toties repeteretur, illud sic abbreviare placuit, uti & Turcicum minori ا *elif*.

ol. pariter est pro اولمق *olmak* esse vel fieri, similiter auxiliari longè frequentissimo, unde etiam Turcicum expressi binis literulis او

r. admonet dictionem, cui adjicitur, rariùs venire in usum, ac esse penè obsoletam, pro qua subjicitur semper usitatior.

Cæteras abbreviaturas accipe ordine Alphabetico subnexas.

Abl. vel *abl.* Ablativus casus.
Abstr. Abstractum nomen.
Acc vel *acc.* & *ac.* Accusativus casus.
Acht. Achteri, لغة اختري *lughati achteri.* Lexicon Arabico-Turcicum manuscriptum.
Act. Actio, seu nomen actionis verbale, quod & Arabibus pro Infinitivo est.
An. Anonymus: idque indicare volo me alicubi legisse vel audivisse præcedentem vocem in ea significatione, nec tamen esse omnino ejus certum.
Ah. Ahi, حسن ودل اخي *husnü dili Ahi.* Eleganti stylo scriptus & multæ doctrinæ liber ad modum nostrarum fabulosarum historiarum *Romanzi* dictarum compositus.
Bern. P. Bernardus à Parisiis Capucinus, seu ejus Vocabularium Italico-Turcicum.
Bob. Bobovius, seu Janua Linguarum aurea reserata, ab eo in Turcicum idioma olim translata & mihi Constantinopoli communicata. *Vir erat Polonus natus, multarum linguarum, sed religionis in speciem Turcicæ, re ipsâ, Deus scit cujus, &c.*
Brat. vel *Br.* Bratutti, Interpres olim Cæsareus, nunc Regis Hispaniarum, qui partem Chronici Seidini (*Se.* in hoc opere notati) Italicè reddidit sat fideliter & accuratè.
cc. construitur cum: *cc ac.* construitur cum Accusativo: *c abl.* cum Ablativo: *c d.* cum Dativo: *c ac p.* cum Accusativo personæ: *c d r.* vel *cum dat. rei* cum Dativo rei, & similia.
Cast. & *C.* Castellus, seu ejus & Golii Dictionarium Persico-Latinum Londini impressum.
Coll. Collectivum nomen, cui opponitur *Unit.* vel *Un.* Unitatis nomen, hoc est, unum ex iis Collectivo comprehensis.
Com. gen. Communis generis.
Comp. Compositum nomen.
Compar. Comparativum nomen, in Arabicis etiam Superlativum.
Conjug vel *Conj.* Conjugationis, &c.
Contr. contrà, vel è contra.
Dat. vel *dat.* Dativus casus.
Del. Doctus quidam Turca دلي برازر *deli bürâzer* dictus, seu ejus Scriptum quoddam aliquatenus obscenum, sed eleganti stylo exaratum.
Deriv. Derivativum Nomen aut Verbum.
Dimin. vel *dim.* Diminutivum Nomen.
Dual. Dualis numerus.
Eb. Avicenna ابو علي سينا *ebu âli sinâ* ipsis dictus, seu Liber vitam Avicennæ fabulosè quidem, sed eleganter describens, *Ms. hoc est* manuscriptus.
e. g. exempli gratiâ.
Erpen. Erp. Erpenius seu ejus Grammatica Arabica Lugduni Batavorum Anno 1656. impressa.
Fæm. Fœmininum.
f. fortè, forsan, *dubitationis nota.*
Fut. Futurum.
Gall. Gallicè.
Gen. Genitivus.

Germ.

Germ. Germanicè.
Gol. & *G.* Golius, seu ejus Lexicon Arabico-Latinum Lugduni Batavorum impressum.
Gram. Grammatica mea, hujus operis pars secunda.
Guadagn. vel *Guad.* Guadagnolus, seu ejus Institutiones linguæ Arabicæ Romæ impressæ.
Gul. گلستان *gulistān.* Rosarium Politicum, liber Persicus à Gentio Latinè redditus.
Haf. Hafyz, seu ديوان حافظ *diwānī hafyz.* Poesis Persica elegantissima cum Commentario ejus. *Ms.*
Hal. Halimius, seu لغة حليمي *lughatī halimī.* Lexicon Persicum Turcicè & Arabicè explicatum.
h.e. hoc est.
Hum. همايون نامه *hümājūn nāme.* Speculum Principum, seu de Principe formando per sententias, exempla & fabulas, liber ex Persico laudatissimo انوار سهيلى *enwārī suhejlī* dicto in Turcicum elegantissimè translatus, cujus utriusque, Persici scilicet & Turcici, bina mihi adsunt exemplaria. *Ms.*
Hung. Hungaricè, *& ex Hung.* ex Hungarico.
Jan. Janua linguarum Turcicè reddita. *Ms.*
i.e. id est.
Ik. اكسير دولت *iksīrī dewlet, quasi* Elixir vitæ vel felicitatis, liber rarus & auro contra charus, de officiis cuique in vita præstandis, &c. *Ms.*
Imperf. Imp. Imperfectum.
Imperat. Imper. Imperativus.
Intransit. & *Intrans.* Intransitivum Verbum, seu absolutum, aut casum non regens.
i.q. idem quod: *i.q. præc.* idem quod præcedens.
Ital. & *It.* Italicè.
Kyrk. قرق وزير حكايتى *kyrk wezīr hykājetī.* Historia 40. Vesiriorum, seu historiæ à singulis eorum allatæ in defensionem Principis accusati à noverca totidem etiam historias fabulosas ad eum convincendum allegante.
Ll. Literæ, *hoc est*, Epistolæ, Diplomata, Mandata, Decreta, Syngraphæ, &c. &c.
Mag. Maggio, seu ejus Grammatica Turcica Romæ impressa.
Masc. Masculinum, seu Masculini generis.
metaph. metaphoricè.
Mirk. Mirkat, seu مرقاة اللغه *mirkātül-lughat*, Dictionarium Arabico-Turcicum. *Ms.*
Ms. Manuscriptus.
Nim. لغة نعمة الله *lughatī ni'metüllāh.* Dictionarium Persico-Turcicum copiosissimum. *Ms.*
Nom. Nomen, & subinde Nominativus casus. *Nom. pr.* Nomen proprium.
Part. Participium seu agens verbi. *Part. pass.* & *Part. p.* vel *Pp.* Participium passivum.
Part. comp. Participium compositivum Persicum, *i.e.* quod additum alteri voci efficit nomen compositum.
Phr. Phrases proverbiales Persicæ Turcicè explicatæ. *Ms.*
Pl. Plurale, seu pluralis numerus: *Pl. pl.* Plurale pluralis *Pl. mult.* Plurale multitudinis: *Pl. pauc.* Plurale paucitatis, *& Pl. san.* Plurale sanum in ون *ūne Masc.* in آت *ātun* vel *at Fœm in Arabicis.*
Pol. Polonicè.
præc. præcedens, præcedentis, &c.
Præt. Præteritum.
q. quasi.
Sa. سعد الدين *sa'düd-din*, vel *sa'ded din.* Bratutio ejus interpreti Seidinus dictus, Author Chronici Turcici elegantissimo stylo conscripti, ita ut dicatur تاج التواريخ *tāgiüt-tewārych.* Corona chronicorum, alias vulgò خواجه تواريخى *choǵia tewārychy* appellatur *Ms.*
scil. scilicet.
simpl. simpliciter.
Sing. Singulare, singularis numerus.
Sul. *Sulejmani*, seu Solimanis Annales. *Ms.*

Tef. تفسير القران *tefsirül-kur-ân.* Commentarium Alcorani in duos tomos divisum. *Mſ.*
Tew. تواريخ آل عثمان *tewârychŷ âli ôſmân.* Annales Turcici ſeu de ſtirpe Othomanorum, liber à Turcis pauci æſtimatus, à Leonclavio olim Latinè redditus. *Mſ.*
Tranſit. vel *Tranſ.* Tranſitivum verbum.
V. Vide, cùm ad vocem antea explicatam aut deinceps alibi explicandam Lector remittitur.
Unit. Unitatis nomen.
Uſit. Uſitatè, uſitatus, uſitatior, ſeu magis uſitatus: indicat ſequentem vocem aut ſignificationem eſſe frequentioris aut certè communis uſus.
vul. vulgò. Aſt *vulg.* vulgare nomen, vulgaris ac plerumque vitiosè ſcripta aut prolata vox.
Waſm. Walmuth, ejuſve Grammatica Arabica Amſtelodami in preſſa.

Si quæ occurrent aliæ hîc non explicatæ, tibi, Lector, facilè ex ipſo ſenſu innoteſcent.

Neque verò exiſtimes velim ex ſolis hîc notatis Authoribus Turcico-Arabico-Perſicis materiam Operis hujus totam depromptam eſſe. Plurimi mihi adfuere alii Libri manuſcripti, quos legi, relegi ac pervolvi, & ex iis, quæ ad rem meam faciebant, compilavi. Ex Arabicis quidem præter Coranum ejuſq; Commentarium, Dictionaria varia, Grammaticaſque, paucos habeo, quos legerim, ſuntque

كتاب قدوري من فقه *kitâbi kudûri min fykhi*, ſeu *fykŷh.* Liber de ritibus & legalibus Authoris *Cuduri* dicti: *in quarto.*

كتاب تحفة الملوك *kitâbi töhfetül mülûk.* Munus Regum dictus liber, *de eodem*: *in 4.*

من فقه لابراهيم بن محمد *min fykhi li ibrâhîm bin muhammed.* Ibrahimi filii Muhammedis, *de lege*, cum explicatione: liber rarior *in 4.*

مزامير لداود *mezâmirü li dâwûd.* Pſalmi Davidici: *in 4.*

التعليم المسيحي *et-taᶜlimul-mesyhŷ.* Doctrina Chriſtiana *in 8. &c.*

Ex Perſicis.

تواريخ مير خواند جزو اول *tewârychŷ mirî chând ğüz-i ewwel.* Hiſtoriæ Perſicæ Mirchondi, *ſeu* Michandi Tomus primus, continens Hiſtoriam *à condito mundo*, & vitas omnium Prophetarum & Philoſophorum illuſtrium, ac vitas Regum Perſarum antiquorum uſque ad Muhammed, *ſeu* Mahometem, *liber in folio.* Si reliqui Tomi acquiri poterunt, vitaque ſupererit, Hiſtoriam hanc Perſicam ab orbe literato pridem deſideratam, Deo favente, interpretari aggrediar, unàque cum textu in lucem edere conabor.

نامهء اسكندر و انوار سهيلي و هشت منظر لجامي مصور *nâmeï iskender, we enwârî sühejlî we heſt manzar li ğiâmî muſawwer.* Codex in folio continens Hiſtoriam Alexandri magni cum imaginibus, Lumina *Suheili*, ſeu Speculum Regum, cujus interpretatio Turcica eſt همايون نامه *humâjûn nâme*, & Septem objecta, Authoris *Giâmî.*

قصص الانبيا *kyſaſul-embija.* Hiſtoriæ Prophetarum eleganter ſcriptæ, rarus liber *in folio.*

منطق الطاير *mantykut-târ.* Colloquia avium: & in eodem codice liber پند عطار *pendî âttâr*, dictus, & alia ſcripta.

مخزن الاسرار *machzenul eſrâr.* Gazophylacium arcanorum aut myſteriorum, liber pretioſiſſimus, quippe elegantiſſimo in Perſia ſtylo & charactere ſcriptus, inſignibus imaginibus diſtinctus, & vix inveniendus: atque in eodem codice libri præterea quinque alii continentur, خسرو و شيرين *chuſrewü ſirin*, & ليلي و مجنون *lejlî* (*leilâ*) *wü meğnûn*, hiſtoriæ fictæ amatoriæ, tres verò reliqui morales, هفت پيكر *heſt pejker*, شرف نامهء اسكندر *ſeref nameï iskender*, & اقبال نامه *ykbâl nâme.* Codex eſt pretio 200. aureorum æſtimatus, *in 4.*

تواريخ مدينهء منوره *tewârychŷ medîneï müneuwere*, Hiſtoria Medinenſis Civitatis, كتاب يوسف و زليخي *kitâbi jûsufü zelîchâ* vel *zülejchâ*, مهر و مشتري *mihrü müſterî*, de amoribus eorum hiſtoriæ fictæ *in* $4^{to.}$ & alii multi libri morales minores, ut بوستان *boſtân*, نكارستان *nigâ-*

nigâristân , بهارستان *behâristân* , سنبلستان *sünbülistân* , سبحة الابرار *subhatül ebrâr*, مسالك عاشقان *mesâliki âšikân* , صفات العاشقين *syfâtül-âšikyn* , اخلاق المحسنين *achlâkul muhsinin* , انشا *inšâ*, formulare literarum Persicarum حديقة السعدا *hedykatüs-su'adâ*, پند عطار *pendi ättâr* , دقايق الحقايق *dekâjkul-hakâjk* , Dictionarium est Persicum Turcicè fusè & etymologicè explicatum *in 4. &c.*

Ex Turcicis.

تواريخ بني آدم *tewârychi beni âdem.* Historiæ filiorum Adæ, *h. e.* volumen Genealogicum, tabula historica omnium insignium virorum ab Adamo usque ad hæc tempora elegantissimè scripta & propter immanem longitudinem in volumen spiralve convoluta, res curiosissima, & longè rarissima.

اسكندر نامه *iskender nâme.* Historia Alexandri Magni Turcicâ vulgari linguâ descripta, *in folio.*

تواريخ طبري *tewârychy taberi.* Chronica Taberi antiqui Historici Turcici, *in fol.*

تقويم سنة ١٠٦٤ *takwimi sinei 1064.* Almanach seu Calendarium in annum hegiræ 1064. *in fol.*

كتاب كنجينهٔ لطايف *kitâbi genğinei letâif.* Thesaurus facetiarum mysticè explicatarum, liber accuratè scriptus & compactus, mirâ elegantiâ præstans, *in fol.*

شفاء منتخب *šifâi muntechab.* Liber de medicina, *in folio.*

سليمان نامه *sülejmân nâme.* Historia de Sultano Solymano, liber elegantissimus *in 4.* majori.

شاه نامه *šâh nâme.* Historiæ fabulosæ versu conscriptæ *in 4.*

تعبير نامه *ta'bir nâme.* De interpretatione somniorum. *in 4.*

فتحيهٔ يمن *fetyhei jemen.* Occupatio Arabiæ felicis carmine conscripta, *in 4.*

كتاب فضايل المكة و المدينة و القدس لشريف *kitâbü fazâilil mekketi , wel-medineti , wel-kudsiš-šerif.* De prærogativis Meccæ, Medinæ, & Hierosolymæ, *liber antiquus*, *in 4.*

سيد بطال *sejidi batâl.* Fabulosa narratio gestorum illius, *in 4.*

حكايت شيرين و فرهاد *hykâjeti širinü ferhâd.* Historia de amoribus Scirinæ & Ferhadi *in 4.*

كتاب يوسف و زليخا *kitâbi jûsüfü zelichâ.* Liber de amoribus Josephi cum Zelicha *versu, in 4.*

احوال قيامت *ahwâli kyjamet.* De novissimo resurrectionis & universalis Judicii die, *in 4.*

شرح كلستان لشمعي *šarhy gülistân li šem-j.* Explicatio Rosarii politici Authore *Scem-j*, cujus etiam adest explicatio τῦ *Hafiz. in 4.*

شرح كلستان لسودي *šarhy gülistân li sûdi.* Explicatio ejusdem libri Authore Sudi, cujus adest etiam شرح حافظ *šarhy hâfyz. in 4.*

كتاب انشاء عبد الكريم افندي *kitâbi inšâi äbdül kerim efendi.* Formulare literarum *in 4.* Liber excellens docens modum scribendi literas, cum ghazellis seu carminibus amatoriis ad calcem libri adjectis.

انشاء تاج زاده *inšâi taǧ zade.* Formulare literarum *in 4.*

ديوان نجاتي *diwâni neğiâti.* Opus poëticum *in 4.*

حكايت خسرو و شيرين *hykâjeti chusrewü širin.* De amoribus Cosrois cum Sirina *in 4.*

مولود النبي *mewlûdün nebi.* De nativitate Mahometis, carmen *in 4.*

سليم نامه *selim nâme.* De gestis Sultani Selimi filii Bajazetis *in 4.* liber elegantissimus.

روزنامه *rûz nâme.* Calendarium perpetuum Turcicum *in 4.*

عروض *ärûz.* De arte metrica Turcicè, Persicè & Arabicè *in 4.*

احمد نامه *ahmed nâme.* Gesta Sultani Ahmedis filii Sultani Mahmedis seu Muhammedis *in 8.* cum aliis compluribus tam strictâ, quàm solutâ oratione conscriptis.

EX his igitur libris, scriptisq; & ex frequentibus cum Turcis per tot annos habitis colloquiis & conferentiis tam publicis, quàm privatis, omnem hujus Thesauri collegi supellectilem. Eam autem non solùm comparare, sed in debitum ordinem digerere, aut aliis Linguis reddere, quàm

زوجي *zewǵi.* Matrimonialis, & matrimonio conjunctus, *ut in Fœm.* محبوبه زوجيتم *mahbūbei zewǵijetüm.* Formosa mea ac dilecta uxor, *quasi* dilecta matrimonialiter. *Ik.*

زوح *zewh.* Disgregatio camelorum, & *contrà*, congregatio, & *i. q.* زولان, & تباعد *Gol.*

زود *zūd*, & aliquando زو *zū* p. تيز *tīz*, سريع *serī*. Celer, velox, festinans, citus, & citò, celeriter, velociter, festinanter. *Presto, veloce*, & *presto, tosto, velocemente, prontamente, subito. Item ex Cast.* Alveus, *seu* fossa, per quam aqua fluit, & زودكشاي *zūd kuśaj*, quæ citò aperitur *sera.* زود زود *zūd zūd*, citò citò. *Presto, lesto.*

زودتر *zūdter*, & زوتر *zūter* p. *Compar.* Celerior, & celeriùs, citiùs, priùs. *Più presto, più tosto.*

زودجور *zūdǵiūr* p. (an *zūdgiūd*?) Lusus puerilis, quo bacillum exiguum longiore percutiunt & prosilientem propellunt. *Cast.*

زودرو *zūdrew* p. *Comp.* Citò, *seu* celeriter incedens. *Che camina presto.*

زودي *zūdi* p. *Abstr.* تيزلك *tīzlik.* Celeritas, velocitas. *Prestezza.*

زور *zewr*, زيارة *zijāret*, & زوارة *züwāret*, *Act.* Visitare, adire honoris ergo *hominem, locumve*, & mentiri. *Item* superior pars pectoris, & *Pl.* τῦ زاير *Porrò* زور *zewr*, *pro* جور *ǵewr.* Iniquitas, tyrannis, violentia. *Gol.*

زور *zewer* a. Inclinatio, declinatio, & cùm in equi pectore superiores partes carneæ, quæ فهدتان *fehd-tān dicuntur*, inæqualiter divergunt, altera extrorsum, altera introrsum. *Gol.* &

زور *zewer* p. Supra, &c. *pro* زبر *zeber*, & maxilla, *pro* زفر *zefer.*

زور *zūr* a. (*f. etiam zewr*) يلان *jālān*, كذب *kizb.* Mendacium, falsum, falsa criminatio. *Falsità, menzogna*, & *ex Gol.* adulterium

adulterium *rei*, *& spec. i. q.* زون *zūn*, nomen falsum, idolum; *dicitur* ماله زورو لاصيتور *mā lehu zūrūn we lā sejjūrūn.* Haud illi est consilii aut mentis aliquid, ad quod se convertat.

زور *zūr*, seu usit. *zor* p. t. (زوري *zori* p.) كوج *güć*, قوت *kuwwet*. Robur, potentia, vis, violentia. Stärck / Macht / Krafft / Gewalt / Zwang. *Gagliardia, fortezza, forza, sforzo, violenza.* Force, vigueur, puissance, effort, violence. Moc / gwalt. ساعد پرزور *sā-ēdi pür zor.* Lacertus, brachium robustum. *Braccio forte. Ik.* زوربازو ايله مردانه ايرمك سوداسيله *zorī bāzū ile merdāne irmek sewdāsi ile.* Cum cupiditate motus, aut præsumptione bellicosos milites assequendi & brachiorum robore, *i. e.* armorum vi eos debellandi, *quod Br. Con animo di dar adosso alli soldati Regii, e rouinarli tutti à forza del braccio Se.* زور ا *zor* t. كوج ا *güć* t. *cum Dat. pers.* Vim facere, vim inferre. Gewalt anthun / anlegen / zwingen / nöthen. *Far forza, sforzare.* Faire force, forcer, violenter. Gwalt czynić / przymuśić. *& cum dat. rei.* Vim aut conatum adhibere, *&* vim sibi facere ad faciendum aliquid. Sich bemühen / befleissen / trachten. *Far sforzo, sforzarsi.* S'efforcer, faire effort. Usilować. *Ik.* زورايله *zor ile.* Vi, coactè. Mit Gewalt / gezwungener Weise. *Per forza, contro voglia, sforzatamente.* Par force, par contrainte. Gwaltem / z musu. بزوركرفتن *bezor giriftēn*, زور ايله الماق *zor ile almak.* Vi capere, regere. Mit Gewalt nemmen. *Prendere, usurpare, torre per forza.* Prendre par force. Gwaltem wziąć. هزارزوروزار ايله *hezār zorū zār ile.* Cum mille difficultatibus. *Con mille pene, stenti, guai, trauagli. Se.* هزار زوروزار وكوشش بسيار ايله *hezār zorū zār we kūšiši bisjār ile. Idem,* mille superatis difficultatibus. *Con mille pene, e trauagli. Se.*

زور *zewwir.* Durus, validus, *&* talis incessus, *& zūwwer, i. q.* زوّار *zewwār, quod V.*

زورا *zewrā.* Profundus *puteus*, dissita *terra*, talisve *locus*, scyphus, arcus, *pec.* ligneus; *&* Tigris *fluv. pec.* pars ejus lambens urbem Bagdad, *propter inflexum ejus, atque hinc* hæc ipsa urbs *G.*

زوربا *zorba* t. *in Pl.* زوربالر *zorbāler.* Tumultuarii, seditiosi, rebelles, perduelles. Widerspenstige / auffrührische / Auffwigler / Rebellen. *Ribelli, sediziosi.* Rebelles, revoltez. Buntownicy.

زورباز *zorbāz* a. p. Fortis, robustus. Starck / kräfftig / mächtig. *Gagliardo, robusto.* Fort, robuste. Duży / mocny.

زوربازلق *zorbāzlyk*, *Abstr.* Robur, prævalentia. *Forza, gagliardia, brauura, violenza.*

زورة *zewret.* Visitatio una, *& in genere*, una vicis, *&* distantia, recessus. *G*

زورت *zort* t. Crepitus ventris. *Scribe & vide* ضورط *aut* ضرط

زوردين *zewerdīn* p. نوروزآيي *newrūz āji.* Mensis Æquinoctii verni. *Cast.*

زورق *zewrak* a. p. كچرك كمي *kičirek gemi*, صندل *sandal*, پرمه *pereme Ni*. Scapha, navicula, exigua cymba. *Schifo, barchetta, gondola, & in genere,* navis. *Naue. Se.*

زوركار *zorkār* p. Arduus, difficilis, *&* vim inferens. *Difficile, che fà violenza.*

زورلمق *zorlamak* t. Vim inferre, vi adigere. *Sforzare, costringere.*

زورلو *zorlü* t. Robustus, *&* violentus. Starck / gewaltig. *Gagliardo, violento* Fort, violent. Mocny / gwaltowny. زورلو قوم *zorlu kum.* Fluctus decumanus. *Cauallone.*

زورمند *zormend* p. *Idem*, Robustus, validus, viribus pollens. *Gagliardo, forte, forzuto, forzeuole.* دليران زورمند ايله *dilīrāni zormend ile*, cum strenuis militibus. *Con li soldati valorosi, e forti. Se.*

زورمندلك *zormendlik* t. *&* زورمندي *zormendi* p. *Abstr.* Robur, virtus, valor, strenuitas. *Forza, gagliardia, valore, brauura.* زورمندلك امتحانه مباشرت اتديلر *zormendlik imtyhānine mübāšeret ittiler.* Cœperunt experimentum facere proprii roboris, *quod Br. Cominciarono à prouare le forze corporali*, (in lucta) *Se.*

زورناپا *zurnapā*, *vulg.* Camelopardus. *V.* سرناپا

زورنيم *zewernīm*, *& zornīm* p. (*in Hel. videtur* زوريم *zewerīm*) قت *kabb* a. Assumentum, quod indusio similive vesti insumentum, quod indusio similive vesti inseritur *ampliandi ergò, vel contra attritionem, quo rustici & pauperiores uti solent. Cast.*

زوروين *zewerwīn*, *&* زورين *zewerīn*, *pro* زبرين *zeberīn* p. يوقروغى *jokarughy*, *&* غايتده يوجه *ghājetde jüģe.* Superus, supernus, valde excelsus. *Superiore, che stà di sopra, ò in alto, & assai alto, sublime.*

زوريدن *zewerīden* p. In altum elevare, *& zūrīden*, fastidio affici, vim facere, violentiâ uti. *Cast.*

زوژ *zūj* p. Confossio, *sive* hastâ, *sive* linguâ facta. *Cast.*

زوزات *zewzāt*, *Abst.* Erecto dorso & contractis passibus incedere, *&* contemnere, abige

abigere. *Item* زوزاءة *zewzäet*, properantia. *Gol.*

زوزك *zewzek* p. Semen, τῦ بنج *beng*, & *Nom.* herbæ, *seu*, *ut Cast.* Peregrinorum Meccensium farina.

زوزن *zewzen* p. *Nomen* Regionis, *ut in Gent.*

زوزو *züzü* p. *pro* ازاوازاو *ezüezü.* Ab eo, & *usit. pro* زود زود *züd züd.* Citò citò, *ut suprà in* زود

زوزي *züzi*, & زويزي *züwejzä.* Brevis, & compressus. *G.*

زوزية *züzijet*, & زوازية *züwäzijet.* Ampla *olla* multas animalis partes simul capiens, & *züwäzijet*, breves & crassi *homines. Gol.*

زوش *zewś*, vul. *züś.* Servus ignavus, vile mancipium. *G.*

زوش *züś* p. تند *tünd*, بدخو *bedchü*, قتي كوكللو *kati gön-üllü*, قوتلو *kuwwetlü*, كسكن *keskin.* Vehemens, *vel ex Cast.* difficilis, corde durus, malus, malæ indolis & morum, acutus, acris, potens, animosus, cordatus.

ژوشيدن *jüśiden* p. Stillando emanare, sensim effluere humorem colatione, *seu* alio modo, & molestum esse alicui ac importunum, laboribus involvere. *Cast.*

زوع *zew*ᵃ, *Act.* Habenâ antrorsum movere *camelum suum*, *ut meliùs incedat*, inflectere *rem*, resecare *alicui* segmentum *de pepone*, *quod dicitur* زوعة *zew-ät. G.*

زوغ *zewgh*, *Act.* Declinare, deflectere, trahere habenâ *camelum*, facere declinare, & seducere. *G.*

زوغار *zewghär. Nomen* cujusdam Magi. *Niᵃ.* & *etiam* ژوغار *jüghär*, *Nom.avis. Cast.*

زوفا *züfä*, & زوفي *züfä* (*in primis* زوفايابس *zufäjäbis*: *nam* زوفا رطب *züfä retb est* Oesypus. *Gol.*) Hyssopus. Jsop/ Kirchen Jsop. *Isopo*, *isapo.* Hisope. Jzop. زوفا اوتي شرابي *züfa oty śeräbi.* Hyssopites. *Vin d'isope.*

زوفطفيريد, & زوفتافريد *züfetäferïd*, & *züfætfïrïd* p. Medicamentum Persicum simile alliorum nucleis. *Cast.*

زوفر *züfer* p. *Cast.* & زوقرا *zükrä. Hal.* چورك اوتي *ćörek oty.* Anethum sylvestre. *Cast.*

زوق *zewuk*, & زاووق *zäwük*, *dialecto Medinensi*, *pro* زيبق *zïbyk.* Argentum vivum. *Gol.*

زوك *zewk*, & زوكان *zewekän.* Incessus corvi, & succussio lumborum inter eundum. *Gol.*

زوكاب *zewkäb* p. چپك صويي *ćiapak suji.* Sordes oculorum.

زول *zewl* a. Scitus, elegans *juvenis, pec.* ingenio, agilis, valde mobilis inter eundum, strenuus, mirabilis, res mira, mirum, & pudenda viri. *Gol.*

زول *zewel*, & *züwel*, زوال *zewäl*, زويل *zewïl*, زوول *zewül*, & زولان *zewelän*, *Act.* Abire loco, deficere, desinere, cessare, declinare. *Gol.*

زول *zewel* p. دوه طبني *dewe tabani.* Heliotropium majus, *aut*, *ut Castello*, horminum, petasites. *Item zül*, قدح *kadah*, poculum. *Niᵃ.*

ژول *jül* p. اكنجي اردنجه تخم دوشرن قوش *ekingi ardinge tochum dewśüren kuś*, & چلق قوشي *ćialyk kuśi.* Avis post agricolam serentem grana legens, & alauda, *aut* alia avis.

زولة *zewlet*, *Fæm.* τῦ زول *zewl* a. *G.*

ژوله *jüle* p. طورغاي *turghaj.* Alauda.

ژوليدن *jüliden* p. صاچ بوزمق *saé bozmak*, & قارش مورش ا *karyś muriś* ol. Crines canescere, & intricari, & *ex Cast.* matutino frigore colorem mutari, ac imminui, rorem decidere, ventum spirare.

ژوليده موي *jülide müj.* Intricatam habens comam. *Che hà li capelli intricati*, *aggroppati*, & موي ژوليده *müi jülide.* Crines intricati. *Capelli intricati. Sa.*

زومح *zewmah.* Ignobilis, &c. *i. q.* زمح

زون *zün.* Vir brevis, pumilio, & idolum, Numen falsum. *Gol.*

ژون *jün* p. Avis quædam. *Cast.*

زون *ziwenn* (*Fæm.* ā,) & زونزي *zewenzä.* Brevis & despicabilis. *Gol.*

زونة *zünet*, *i.q. vel pro* زينة *zïnet.* Ornatus, ornamentum, & mulier intelligens. *Gol.*

زونج *zeweng*, & *züweng*, & *zewing* p. سجوق *suğiuk.* Farcimen, lucanica. *Salciccia.*

زونك *zewennek*, & زونزك *zewennezek.* Vir curtus & despectus, & qui se effert supra conditionem suam. *Gol.*

زوي *zewj*, *Act.* Vergere, tendere aliquo, petere, & abdere, celare, *ac* in se colligere, & contrahere *palpebras*, &*c. Gol.*

زويدن *zewiden* p. Superum altumque esse, & singultire. *Cast.*

زوير *züwejr*, *i. q.* زعيم *za-ȳm.* Dux, caput, princeps populi, tribunus. *Gol.*

زويره *zewire* p. قصرغه *kasyrghe.* Turbo, ventus in gyrum ductus. *Turbine.*

زويزي

زويزي *züwejzā*, *V. in* زوزى, & زويل *zewīl*, *V. in* زول *zewl.*

ز

زه *zeh*, & *usit. zih* p. ياي كرشى *jaj kirisi*, زنجف *zingef*, *seu* سنجف *singef*, يقه *jaka*, اوغلان بوروسي *oghlan burusi*, & سزندو *syzyndü.* Chorda, seu nervus arcûs, margo, ornamentum exterius, limbusve vestis, collare, tormina seu dolores, qui in partu contingunt. *Corda d'arco, paramento di veste, collare, dolori del parto*, & *scolatura. Item zih pro* زهي *zihi.* Interjectio laudantis aut admirantis. *Euge, egregiè sanè! ò brauo! Porrò ex Cast. zeh*, ornamentum muliebre ex auro & argento contortum, & res contorta, *vel* per foramen ducta, *ut aurea & argentea fila*; obliquis filis incisum, *vel* panni dissectio, folliculus fellis, robur, vis, tenuis exstillatio, seu exsudatio aquæ, & بى زه *bi zeh*, sterilis. زه زواد *zeh zewād*, progenies hominum, *item* pecorum fœtura & propago. زهكير & زدكير *zehgīr*, & *zihgīr*, *vul. zekīr*, *q. nervum prehendens*, Annulus osseus *plerumque*, quo pollicem muniunt contra trahendi nervi molestiam. *Annello d'osso, ò di corno da tirar l'arco.* زهلخا & زهلخاد *ziblæchā*, & *ziblæchād.* Calceorum & ocrearum ad suturas ornamenta, quæ iis assuuntur. *Cast. Item ex eodem, zih*, assumentum ornatûs gratia, *pec.* interiori vestis margini appositum, ora vestis, instita sericaria, *quâ loco fimbriæ vestes consuunt*, margo, ambitus, extremitas rei, linteum ad stillandum liquorem, & neptis, nepos. زهبند *vel* زهبند *zihbend*, ornamentum aliquod colli muliebris, & زه خيار *zih chyjār*, cucumeres, qui primi proveniunt, & torquis genus. *Vide etiam* ضرر

زهاب *zehāb* p. سزندو *syzyndü.* Quicquid percolatur, percolatione emanans, *minus quàm stillare*, & *q.* fons, scaturigo. *Fonte. Ik. Item zihāb, Idem, etiam* قوشاق يري *kušāk jerī.* Lumbi, locus corporis, cui zona seu cingulum circumjicitur. *Cintura.*

زهاة *zühāt.* Quantitas numerusve *centum hominum. Gol.*

زهاد *zehād.* Quæ non nisi à multa pluvia fluxum aquæ mittit *terra*, *ob mollius & apertum solum*; & *contrà* pauca ex pluvia fluxum concipiens, *ob duritiem. Gol.*

زهاد *zühhad*, *Pl.* ت زاهد *zāhid.* Continentes, Religiosi, Monachi. *Religiosi, continenti. Ik.*

زهادت *zehādet*, *Act. i. q.* زهد *zühd*, & زاهدلك *zāhidlik.* Continentia, *seu* continens vita, religio. *Vita continente, e religiosa.*

زهار *zehār* p. قاسق *kasyk.* Vesica. *Hal. seu, ut Cast.* ventris pars inferior infra umbilicum in adultis vestita pellis, *unde* موى زهار *müi zehār*, pubes, pecten. *Anguinaglia, pettignone.* زهارتنك *zehār tenk.* Cingulum, quo inferiore ventris parte astringitur camelo sella, clitellæ, stratumve: *anterius dicitur* پيش تنك *pīš tenk. Cast.*

زهانيدن *zehānīden* p. *Transit.* 8 زهيدن *zehīden.*

زهب *zehb*, & زهبة *zübbet.* Pars opum pecorumve. *G.*

زهد *zehd.* Quantitas, *pec.* modica & sufficiens. *Gol.*

زهد *zühd*, & زهادة *zehādet*, *Act.* Non cupere, abstinere, continere se *à mundanis rebus*, & *quasi* repudiare *eas*, Dei cultui ac religioni devotum esse, & *ipsa* devotio, abstinentia à mundanis rebus. *Ik. Se. Far vita spirituale, e religiosa*, & *astinenza, continenza, diuozione, spiritualità.* زهد ايله *zühd ile.* Continenter, devotè. *Diuotamente, continentemente.* زهد الاكل *zühdül ekl.* Sobrietas, abstinentia. *Sobrietà, astinenza. An.*

زهد *zehed*, *i. q.* زكوة *zekāt*, & *Act.* Conjectare, per conjecturam mensurare *palmæ*, *segetisve* proventum. *G.*

زهدان *zihdān* p. Uterus, matrix. *Matrice.* افادن زهدان *uftādenī zihdān.* Prolabi uterum. *Cast.*

زهدم *zehdem*, *i. q.* صقر *sækr*, *aut* Pullus accipitris, *seu* falconis. *Gol.* & *ipse* accipiter, falco. *Acht.*

زهر *zehr*, *ferè zehyr aut zeher* p. t. اغو *aghu.* Venenum, toxicum. Gifft. *Veleno, tossico.* Poison, venin. Jad / trucizna. زهر هلاهل *zehrī helāhül*, & زهر قاتل *zehrī kātyl.* Venenum lethale, lethiferum. *Veleno mortale, mortifero.* زهر افشان *zehr efšān*, *Comp.* Venenum spargens, diffundens. *Che sparge veleno.* زهر افشان اور *zehr efšān ol.* Spargere, emittere venenum. *Spargere veleno, tossico. Ik.* زهر آلود *zehr ālūd*, veneno infectus, venenatus. *Auuelenato, velenoso. Se. Item* زهر زمين *zehrī zemīn.* Cyparissus, & colocynthis, & زهر كوش *zehrī gūš.* Sordes aurium.

زهر *zehr*, & زهرة *zehret*, *Pl.* زهر *zeher*, *zühūr*, & ازهار *ezhār*, *ac hinc* ازاهير *ezāhīr.*

ezâhîr. Flos plantæ, *pec.* flavus, *&* *zehret*, pulchritudo ornatusque *mundi*, decus, ornamentum. *Fiore, bellezza, ornamento, fregio.*

زهر *ziber* p. *pro* ازهر *ezher*, *ut* زهرسو *ziher sû*. Ex omni parte. *Da ogni banda.*

• زهرا *zehrâ*, *Fœm.* τῦ ازهر *ezher*. Alba, candida, splendens, florens, nitens vultu, clara, evidens. *Bella, candida, bianca, risplendente, serena, chiara.* زهرهٔ زهرا *zühreï zehrâ*. Nitidissima, splendidissima, pulcherrima Venus. *La bella Venere. Ik.*

زهراب *zehrâb*, سحر قوشي *sæhær kuši*. Avis matutina, *f.* philomela. *Ni*.

زهراب *zehrâb*, *aliàs usitat. & ut in Ik.*

زهرابه *zehrâbe* p. Sordes aquæ, colluvies, *&* aqua venenata. *Sporchezza d'acqua, acqua sporca, ò auuelenata*, *ut* زهراب اجل *zehrâbi eğel*, calix mortis. *Il calice della morte. Ab.* *Aliàs ex Cast.* *zebrâb*, aqua, quæ confluxit, *item* detenta & impedita, ne perfluat: aquatica herba, aqua, in qua fructûs & herbæ ita macerantur, ut amarorem in ea deponant.

زهرابي *zehrabi*, *i. q.* زهراب *zehrâb primum*: *&* *zührâbî*, gladius ex optimo ferro undulatam faciem habens *Cast.*

زهرات *zeherât*, *Pl.* τῦ زهرة *zehret*, *&* *zühret*. Flores, pulchritudines, &c. *Tef.*

زهرة *zehret*, *&* *zeheret*. *V. in* زهر *zehr*: *&* *zühret*, albedo, candor, pulchritudo: *&* *züheret*, vulg. *zühret*, aut *zühre*. Venus *planeta.* Venus. *Venere.* Venus. Wenus/ gwiazdá záránna.

زهرج *zehreğ*, *Pl.* زهارج *zehâriğ*. Strepitus ac stridor dæmonum. *Gol.*

زهردار *zeherdâr* p. *Comp.* Veneno infectus, venenatus, venenosus, ut خنجرزهردار *chænğerî zehyr dâr*, Venenatus pugio. *Stilletto auuelenato. Se.*

زهرلمك *zehyrlemek*, *zeherlemek*, اوترمق *otarmak*, اغولمق *aghulamak*. Venenare, veneno inficere, *&* veneno enecare. Vergifften / mit Gifft vergeben. *Auuelenare, attossicare.* Empoisonner, *&* tuer par poison. Jadem nápuscić/ otruć. زهرلنمش *zeherlenmiš*, *Part. Pass.* Veneno necatus. *Attossicato.*

زهرلو *zehyrlü*, اغولو *aghulu*. Venenosus, virulentus, venenatus. Gifftig / vergifftet. *Velenoso, tossicato.* Venimeux, empoisonné. Jádem nápuszczány /iádowity.

زهرناك *zehernâk*, *&* *rariùs* زهرور *zeherwer* i. *Idem*, Venenosus, veneno imbutus, venenatus. *Velenoso, pien di veleno*, *ut* ابو عليه كوناكون زهرناك سوزلر سويليوب *ebû ʿalije gûnâgûn zehernâk sözler söjlejüp*. Avicennam variis venenatis verbis increpando. *Dicendo ad Auicenna diuerse parole piene di veleno, pungenti, &c. Eb.*

زهره *zehre* p. اود *öd*, *&* مجال *meğiâl*. Fel, bilis, & folliculus cum ea, *&* robur, potentia resistendi, virtus naturalis corporis. *Cast. & usit. metaph.* animus, audentia. *Fiele, ardire, cuore.* زهرهسي يوقدر *zehresi joktür*, *cum Dat.* Non audet. *Non hà l'ardire, non gli basta l'animo.* زهره لري چاك اولوب *zehreleri ćiak olüp*, disrupto felle, animo dejecto. *Crepandogli il fiele, il cuore, perdutosi d'animo. Eb.* *Sic* غلبهٔ هراس وبيم ايله زهرهسي دونيم اولوب *ghælebeï hirâsü bimile zehresi dü nim olüp*. Præ nimietate metûs ac timoris fel ejus disruptum est, animum despondit, *quod Br.* *Si sbigottì di paura.* زهره تراك *zehre tirâk*, *Comp.* Fel, *aut* cor fissum, ruptum habens, *ut* اقبال شاهيدن زهره تراك اولدي *ykbâli šahiden zehre tirâk oldy.* Rumpebatur cor ejus ex prosperitate Regia, *quod Br.* *Gli crepaua il cuore di veder la prosperità, e li felici progressi del Rè. Se.* *Sic* زهره انجمن افروزلكده شهره ايكن بو غمدن زهره تراك اولدي *zühre enğümen efrûzlikte šöhre iken bu ghæmden zehre tirâk oldy.* Venus quantumvis in illuminatione stellarum celebris ex hoc luctu fissum disruptumque fel habuit, *Amplificatio luctûs ob mortem Regis. Se.* اتراك ناپاك بيم هلاك ايله زهره تراك اولديلر *etrâki nâpâk bîmi helâk ile zehre tirâk oldyler.* Impuri Turcæ metu mortis correpti desponderunt animum, *quod Br.* *Quella disgraziata radunanza si disperse per la paura della morte. Se.*

زهره *zühre.* Venus. *Venere*, *pro* زهرة *zühret*, *quod vide*, *&* زهره واركندو چلار كندو اوينار اولوب *zühreuâr ğendü ćialar gendü ojnar olüp.* Instar Veneris ipsa pulsat canitve, ipsa saltat tripudiatve. *A guisa di Venere, ella medesima e suona, e balla. Ab.*

زهزاد *seu* زهزاد *zehzâd*, *&* زه وزاد *zehü zâd*, *i. q.* زه زواد *zeh zewâd*, *quod vide in* زه.

زهزاق *zehzâk*. Motitatio infantis in altum à matre. *Gol.*

زهزقة *zihzeket*, *Act.* Vehementer ridere, subsultorio motu attollere *infantem*, *ut mater facit. G.*

زهش *zehiš*, *&* *zehš* p. صيزش *syzyš*. Emanatio, destillatio. *Scolamento*: *&* coitus. *Hal.*

زهف *zehef*, *Act.* Levem agilemque & celerem esse, properare, *&* *zehif*, agilis, celeriter incedens. *Gol.*

زهق *zehek*. Terra planior & æquabilis, *&*

& zehyk, i q. نزق nezyk, levis, mobilisque. Gol.

زهق zühekk, Pl. تو زاهق

زهكير zehkir. Annulus osseus pollicis ad trahendum arcum. V. in زه

زهل zehel. Glabrities, vel zehil, sincerus albor. Gol.

زهلب zehl.b. Qui levi ac rariore barba est. Gol.

زهلق ziblyk. Agilis & celeriter incedens homo, ventus vehemens, & lucerna. Gol.

زهلقة zehlæket, Act. Candidam reddere vestem, certo agilique modo incedere. Gol.

زهلملك ziblemek, كرشلمك kirišlemek. Intendere arcum, nervum illi aptare. Metter la corda all' arco per tirare.

زهلوق zühlük, Pl. زهاليق zehālyk. Obesus, corpore æquabilis ac lævis præ pinguedine. Gol.

زهلول zehlūl, i. q. املس emles. Glaber, lævis. Gol.

زهم zehm, & زهومة zühūmet, Act. Pinguem, pinguedine illitam esse manum, obesum esse, fœtere. Item zühm, adeps. Grasso, & zehim, Fœm. ة, Part. pinguis, pinguedine illitus, &c. Gol.

زهما zehemā p. Amator, amore correptus. Cast.

زهمان zühmān. Nom. canis. Gol.

زهمة zehmet. Fœtidus odor. G.

زهمق zehmak. Brevis compressusq; corpore. Gol.

زهمقة zehmæket, i. q. زهومة zühūmet. Fœtor, pec. corporis, ut axillarum. G.

زهو zehw, Act. Flavescere ac rubescere dactylum immaturum, & tali fructu ipsam palmam, nitere oculis pulchramque videri, & placere, vicinam fœturæ esse ovem, ita ut sponte ex uberibus lac stillet, à potu totam noctem & amplius incedere camelum, & spirare ventum, & Transit. ventum agitare, quatere arborem, vaporem elevare altioremve exhibere rem, levipendere, vilipendere. Item zühw Arabiæ Petrææ, maturescere incipientis dactyli color, & uti Adject. ipse talis dactylus, pulchritudo, elegantia vultûs eâque nitens ipse vultus, & elegans planta, & i. q. زهر zehr, aut pro eo flos ejus, item superbia, gloria, typhus, etiam vanitas, mendacium. Gol.

زهوّ zehüww. Flavescens ac rubescens dactylus immaturus. Gol.

زهور zühür, Act. Lucere ac splendere ignem, invalescere ac multum esse, nitere, pulchrum esse. Gol.

زهوطة zühūtat. Magnus bolus. G.

زهوق zehūk. Puteus profundus, via sublimior per montes patens, & vanus, inanis, & obesus. Gol.

زهوق zühūk, Act. Abire, exspirare, exire animam, perire, evanescere, vanum, & frustra esse, repleri & stipari os medullâ, sagittam transjicere, transversum penetrare scopum, præcedere, prævertere, de equo. G.

زهومة zühūmet, Act. V. زهم

زهي zehī, & zibī, كلمهٔ تحسين kelimeï tæhsyn, particula laudantis, & admirantis, ô, quàm, euge, benè, quàm pulchrè. زهي سعادت zehī se-ādet. O felicitas! ô me felicem! ti.., oh che felicità! beato me! زهي عطا و نوال zehi ātā wü newāl! O quanta beneficia & dona! Ab. زهي علوشان و سموّ مكان zehi ülüwwī šān we sümüwwī mekān! O altitudinem dignitatis & sublimitatem conditionis. Sa. زهي روى zehī rūj. Quam pulchra, vel etiam quàm deformis facies!

زهيد zehīd, ut زاهد zāhid. Abstinens, temperans, & angustus, paucus. Ita زهيد الاكل zehīdul ekl, parum comedens, sobrius. Gol.

زهيدن zehīden. Aperire, exire foras, prodire, & emanare, & sperare. Cast.

زي

زي zī p. Imperat. & Part. Comp. à verbo زيستن zīsten. Vive, & vivens, & pro زندگاني zindegānī. Vita, victus, & pro سوي sūi, يكا ian-a. Latus, tractus, plaga, versùs, & pro زهي zehī, zibī. Mirum, hem, ô, quàm pulchrè, &c.

زي jej p. i. q. آبگير ābgīr. Stagnum, cisterna, lacus parvus, in quo aqua colligitur.

زيّ zejj, Act. Vergere, &c. pro زوي zewj, quod vide: Item زيّ zejj, Pl. ازيا ezjā, & ازوا ezwā. Lethum, fata. Gol.

زيّ zijj, pro زوي zewj, Pl. ازيا ezjā, Habitus, vestitus, forma. Habito, veste, forma. زيّ و لباس و قيافتلرندن استفسار اتدردي zijjü libāsü kyjāfetlerinden istifsār ittürdy. Jussit inquiri de habitu, vestibus, ac aspectu eorum, quod Br. Lo fece interrogar dell' effigie, statura, e vestimenti loro. Sa.

زيّات zejjāt a. Olearius, qui oleum vendat, Ogliaro.

زياد zijād p. pro زيادة zijādet a. Auctio, augmentum, accessio, ut زياد شدن zijād šuden,

büden, augeri, abundare. *Cast.* *Sic* باقی دوستلق زیاد باد *bāky dostlyk ziād bād.* Caterùm amicitia crescat, augeatur. *E per fine l'amicizia sempre s'accresca. Ll.*

زیادکی *zijādegī* ۴. Auctio, incrementum. *Ik. i. q. sequens*

زیادة *zijādet* (& زوادة *zewādet*) *Usit.* زیاده *zijāde*, *Act.* Augeri, & augere, adjicere, addere aliquid *rei*, excedere *numerum*, & increscere, ac redundare, & *usit.* augmentum, incrementum, accessiò, additamentum, & plus, magis, amplius, nimium, nimis, excessivè. Vermehrung/Vergrösserung / Auffnehmung / mehr / zu viel/ Überfluß / über die Maß. *Accrescimento, vantaggio, giunta, soprapiù, & più, troppo, di souerchio.* Augmentation, accroissement, surplus, & plus, davantage, trop. Przymnożenie/ przyczynienie/ przydatek/ wiecey/ barziey / siłá / náżbyt / zbytek. زیاده اولمق *ziāde o.* ازدیاد ویرمک ارتورمق *arturmak*, *izdijād wirmek.* Plus facere, & augere, adaugere. Vermehren / vergrössern. *Far più, & aumentare, accrescere, amplificare.* Augmenter, accroistre; amplifier, adiouster. Przymnożyć / przyczynić. زیاده او *ziāde o.* ازدیاد ارتقمق *artmak*, بیومک *büjümek*, ازدیاد بولمق *izdiād bulmak.* Augeri, crescere, incrementum sumere, superabundare. Sich vermehren / zunehmen / wachsen. *Aumentarsi, crescere, auanzare, soprabondare.* S'augmenter, s'accroistre, croistre, abonder. Przymnożyć śie / przybywáć / rość/ opływáć. عمرو دولتکز زیاده اولا *ümrü dewletün-üz ziāde ola.* Augeatur vita prosperitasque vestra. *Venga prolongata la vita, e prosperità vostra.* زیاده نه دیمک لازمدر که معلوم دکلدر *zijāde ne dimek lāzimdür ki maelūm deġüldür*, vel *olmaja.* Quid plus, quid ulterius dicatur, aut dicendum est, quod vos lateat? *E che si può dir di più, che non vi sia noto? non altro.* (*Sic plerumque concluduntur literæ privatorum*) یا زیاده یا اکسک *ja zijāde ja eksik*, *vel* plus, *vel* minus, plus minus. *Più, ò manco.* الک زیاده *en- zijāde.* Ad summum, plurimùm. *Al più.* زیاده سومک *zijāde sewmek.* Magis amare, & valde amare, deperire. *Amar più, amar molto.* زیاده کرکلو *zijāde gereklü.* Magis, & valde necessarius. *Più, & molto importante, necessario.* زیاده یوکلمک *zijāde jüklemek.* Nimis onerare, gravare. *Aggrauare, caricar troppo.* زیاده ویرمک *zijāde wirmek.* Plus dare, additamentum dare. *Dar d'auantaggio, dar con la giunta.* ایکی بیکدن زیاده آدمه *iki bin-den ziāde ādeme.* Plusquam bis mille hominibus. *A più di due mille huomini.* برییلدن زیاده *bir jilden zijāde.* Ultra annum. *Più d'un anno.* حدّدن زیاده *hadden zijāde.* Extra modum aut terminum, excessivè. *Smisuratamente, smisurato, oltre modo.* قیاسدن زیاده *kyjāsten zijāde*, *Idem*, & suprà quàm cogitari possit, aut comprehendi. *Oltre misura, più che non si pensa, ò puossi credere.* استماع اتدکلرندن زیاده *istimā* *ittüklerinden zijāde.* Plus aut majus quàm audiverint. *Maggiore di quello, c'haueuano inteso. Se.* زیاده اق *zijāde ak.* Magis albus, albior, & albissimus *Più bianco, & bianchissimo. Sed pro hac superlativi nota sæpiùs dicunt* زیاده سیله *zijādesi ile*, *quasi* cum accessione, summopere, & nimium quantum. *Assai, molto, troppo, grandemente, sommamente, fuor di misura. Sic* زیاده سیله یرامز *zijādesi ile jaramaz.* Pessimus. *Pessimo.* زیاده سیله یوجه *zijādesi ile jüğe.* Altissimus. *Altissimo.*

زیاده جه *zijādeğe.* Plusculum. *Vn poco più.*

زیاده لك *zijādelik*, & زیادتی *zijādeti.* Superabundantia, quod suprà est *vel* datur, additamentum, amplificatio, superfluitas. *Il soprapiù, soprabondanza, auantaggio, amplificazione, giunta, superfluità.*

زیار *zijār.* Forceps, aliudve instrumentum, quo prehensa tenentur labia equi, ut veterinario obsequatur. *Gol.*

زیارة *zijāret.* Visitatio, peregrinatio. Besuchung / Pilgerfahrt / Wallfahrt / Pilgramschafft. *Visita, visitazione, pellegrinaggio.* Visite, pelerinage. Náwiedzenie / pielgrzymowánie. *Vide* زور *zewr.* زیارت ا *zijāret e.* Visere, visitare. Besuchen / heimsuchen / besichtigen. *Visitare.* Visiter. Náwiedzáć. زیارت اخ مسلم *zijāreti achȳ müslim.* Visitatio Fratris orthodoxi. *Visitar il Fratello della medesima vera religione. Ik.* الزیارة لحظة *ez-zijāretü lahzetün.* Visitatio debet esse momentanea, diuturnitate haud importuna. *Se.* زیارتنه کلدی *zijāretine geldy.* Venit eum visitatum. *Venne à visitarlo. Se.* مناستردە اول ایکی پادشاه مغفرت پناه مرقدلرینی زیارت اتدی *manastyrde ol iki pādišāhi maghfiret penāh merkadlerini zijāret itty.* Visitavit duorum illorum Regum piè defunctorum sepulchra in Monasterio sita, *quod Br. Se n'andò à visitare li sepolchri di quei duo Imperatori. Se.* زیارت اودمک *zijāret ödemek.* Reddere visitationem. *Render*

der la visita. زيارته كتمك zijārete gitmek, warmak. Visitatum ire, visere. *Andar à visitare, pellegrinare. An.*

زيارتجي zijāretći, زيارت ايدجي zijāret idiǵi. Visitator, peregrinus. Besucher / Pilgram. *Visitatore, pellegrino.* Visiteur, pelerin. Náwiedzcá/náwiedzoacy/y pielgrzym.

زيارتكاه zijāret gâh p. Locus visitationis, sanctus. *Luogo degno d'esser visitato, di pellegrinazione, di diuozione, santo, santuario.* زيارتكاه اهل حال و مرجع اصحاب آمال اولان مزار zijāret gâhi ehli hāl we merǵe-i ashābi āmal olan mezār. Sepulchrum, quod visitatur devotionis ergo ab hominibus seculi & ad quod confugiunt in necessitate constituti, *vel* aliquid petituri, *quod Br. Sepolcro di gran devozione, e concorso di gente. Se.*

زيازيت zijāzijet, *i.q.* عجلة âgelet. Currus, plaustrum. *G.*

زياف zijāf, *Pl* تو زيف zeif.

زيافة zijāfet, *i.q.* مختالة muchtālet. Superba *camela. Gol. & ex Cast.* vanitas.

زيال zijāl, *Act. Conjug.* 3. Discedere *ab aliquo*, relinquere *eum. G.*

زيان zijān p. *Part.* تو زيستن zisten. Vivens, & vivificans, *& usit.* زيان zijān p. t. ضرر zarer. Damnum, noxa, detrimentum, defraudatio. Schade / Verlurst / Nachtheil. *Danno, pregiudizio, perdita.* Dommage, perte. Szkoda / utrátá. ا زيان زيان zijān e. ويرمك zijān wirmek, vel كتورمك getürmek, vel چكدرمك ćektürmek. Damnum facere, *seu* inferre, damno esse, damnificare, nocere. Schaden bringen/zufügen/schädlich seyn. *Far danno, recar danno, danneggiare, nuocere, pregiudicare.* Faire dommage, porter dommage, endommager, nuire, preiudicier. Szkode czynić / szkodzić / o utrátę przyprawić. *Dicitur tamen etiam* ا زيان zijān e. Jacturam facere. *Perdere, patir danno, ut &* زيان چكمك zijān ćekmek, زيان كورمك zijan görmek, زيان يافدن zijān jāften, vel كشيدن kešiden, vel كردن kerden. Damnum pati. Schaden leiden. *Patir danno.* Recevoir dommage. Szkode odniesć. زيانلري اوددمك zijanleri ödemek. Resarcire damna. *Risar i danni. An.*

ژيان jejān, & jijan p. هيبتلو hejbetlü, درنده و شرنده dirende we gherende. Formidabilis, terribilis, rapax, dilacerans & pugnans, iracundiâ & rugitu insignis *fera, ut* شير ژيان širi jejān. Leo ferox, rapax. *Leone feroce, rapace, terribile. Se.* شير ژيان بچنكندن خلاص اولش كيك كبي يوركلري كوب كوب صولرلر širi jejān pentešinden chelās olmyš geik gibi jürekleri küp küp sölurlar. Instar cervi ex unguibus ferocis leonis elapsi corda eorum palpitando halitum ægrè trahunt. *A guisa di ceruo scappato, ò liberato dalle zanne d'un feroce leone li loro cuori palpitauano con ambascia. Eb. Porrò* jijan, *pro* چيان ćijān, *quod vide.*

زياندار zijān dār p. *Comp.* Noxius. *Nociuo C.*

زيانسز zijānsyz t. Absque damno, citra noxam & jacturam, *&* innocens, minimè noxius. *Senza danno, che non fà danno.*

زيانكار zijankār, *&* زيانكر zijanger. Damnificus, qui damna infert. Der Schaden bringt / schadet. *Danneggiatore, che fà danni.* Qui fait dommage, ruineur. Szkodźiciel / szkodnik.

زيانلق zijānlyk, *&* زياني zijāni. Damnificatio, damnum. *Danno, perdita. T. f.* زياني يافتن zijānī jāften, jacturam facere, damnum pati. *Patir danno. Cast.*

زيانلو zijānlü t. Damnosus, noxius. Schädlich / Schadhafft. *Dannoso, nociuo.* Dommageable. Szkodliwy.

زيانيدن zianiden, *&* زياندن ziānden. Vivificare. *Transit.* تو زيستن zisten. *Cast.*

زيب zib p. بزك bezek, زينت zīnet, *& ex Nr.* جمال gemāl, *&* يراشقلو jarašyklü. Ornamentum, ornatus, pulchritudo, comptus, elegantia, *&* elegans, pulcher. *Ornamento, bellezza, grazia, & bello, vago, grazioso.* زيب و زيور zibü ziwer, ornamentum, *&* decus. *Ornamento, e bellezza. Ik.* زيب و تر zibü ter, comptus, elegans, *&* recens. *Bello, e fresco. An.*

زيبا zibā p. (*&* زيبان zībān *Hel.*) بزكلو bezeklü. يراشقلو jarašyklü, *& ex Nr.* كوزل güzel. Pulcher, ornatus, comptus, scitus, elegans, apparatus, aptè dispositus. *Bello, ornato, vago, galante, grazioso, addobbato, aggiustato. Eb.* اول قصر زيبا و مقام دلكشا ol kasri zibā we mekāmi dilkušā. Illud palatium egregium, mansioque amœna. *Quel vago, e delizioso palazzo. An.* نه زيبا سير اولور ونه اوزكه تماشا در ne zibā sejr olur we ne özge temāšā dür. Quàm lepidum spectaculum! *O che bello passatempo, e strano spettacolo! Eb.*

زيبايي zibāji p. *Abstr.* Elegantia, pulchritudo, splendor. *Bellezza, grazia, vaghezza.*

زيبد zībed p. Decens, aptus, dignus. *Cast. Est potiùs tertia persona Præsentis aut Futuri* يراشور jarašur, decet, &c.

زبر zîber, & zîbür. Villi, *seu* villositas novæ vestis, *& ex Cast.* straguli genus ex capillo camelino.

زيبق zîbæk (*& zibyk. Gol.*) ژیوه jîwe, vulg. jîwâ p. Argentum vivum. *Argento viuo.*

زيبقى zîbækŷ. Ex argento vivo. *D'argento viuo.* اول خم زيبقى ميل اوزه بند ايلدى *ol chumi zîbækŷ mîl üzre bend ejledy.* Superimposuit alligavitque columnæ erectæ illam ollam æneam argento vivo plenam, *quod Br. Pose sopra la colonna quel vaso pieno d'argento viuo. Se.*

زيبنده zibende. Ornatus, concinnus, egregius. *Galante, bello, ornato. Ik.* سرو زيبنده خرام *serwi zibende chyrâm.* Cupressus concinno elegantique motu agitata. *Cipresso graziosamente agitato, vezzoso. Ik.*

زيبيدن zibîden p. ياراشمق jarasmak. Decere, quadrare, convenire, aptè congruere, ad ornatum facere. *Esser aggiustato, venir bene, star bene, conuenire.*

زيت zejt, *Act.* Addere *cibo* oleum, *eo* condire, *&* pro obsonio dare oleum. *Item vul. zejt, &* زيت ياغى *zejt jaghy*, oleum olivarum, *Hisp.* Azeyte. Baumöel. *Oglio d'uliua, oglio.* Huile d'olive. Oliwá/ oley.

زيتا zejtâ. *Nom.* montis Meccani. *G.*

زيتان zejtân p. (*in H.el. videtur esse* زيتاز *zejtâz*) زيتك تفلى *zejtün-süfli.* Amurca, fæx olei. Die Oelhefen / Oeltrusen. *Morchia, feccia dell'oglio.* Lie d'huile. Fuz.

زيتون zejtûn, *Coll. &* زيتونة *zejtûnet, Unit.* Oliva. Olive. *Oliua, uliua.* Olive. Oliwka. زيتون ياغى *zejtûn jaghy, i. q.* زيت ياغى *zejt jaghy.* Oleum olivarum. زيتون چكردكى *zejtûn ćekirdegi*, vel استخانى *ustuchâni*. Os, nucleus olivæ. Oliven-Kern. *Osso d'oliua.* Noyau d'olive. Kostka oliwna.

زيتونه *zejtûnet*, زيتون اغاجى *zejtûn aghagi.* Oliva *arbor.* Oelbaum. *Viuo, albero d'oliua.* Olivier. Oliwá drzewo.

زيتونجى *zejtûngi.* Olearius. Oeler/Oelverkauffer. *Ogliaro, che vende, ò fà l'oglio.* Huilier. Oleynik.

زيتونلق *zejtûnlyk.* Olivetum. Oelbaum-Garten. *Vliueto, giardino, ò bosco d'ulivi.* Lieu planté d'olives. Oliwny sad.

زيج *zîğ* a. *Pl.* زيجات *zîğiât*, زيك *zîk* p. Amussis architecti, *& hinc à rectarum linearum ductu* Tabulæ astronomicæ. *Fil della sinopia, & Tauole astronomiche, & ex Cast. Nom.* instumenti bellici, lorica, *seu* thorax ex annulis ferreis contextus.

زيجك *zîğek. Nom.* cibi *in Persia parari soliti ex intestinis agnorum frustatim concisis, quæ oxygalæ injecta comeduntur. Cast.*

زيح *zæjh*, زيوح *zijûh*, & زيحان *zejhân, Act.* Procul abesse, distare, abire. *Gol.*

زيخ *zajch*, & زيخان *zejchân, Act.* Exorbitare, injustitiam exercere ac tyrannidem. *Gol.*

زيخ *zŷch* p. يورك اوينمق *jürek ojnamak.* Palpitatio cordis. *Ni*.

زيد *zejd, Act.* Augeri *aliquâ re*, *&* augere *eâ*, adjicere, &c. *ut* زيادة *zijâdet. Item* زيد *zîd, ipsum* augmentum, accessio. *Porrò* زيد *zejd* (& عمرو *âmrü*) *Nomina ficta, ut apud nos* Cajus & Sempronius, &c. *V. Gramm.*

زيد *zîde*, 3. *pers. Præt.* Auctus est: *sed in apprecationibus æquivalet Imperativo*, seu *Optativo*, *ut* زيد قدره *zîde kædrühu.* Augeatur ejus dignitas, conditio. *Cresca la sua dignità, ò conditione*, vel relativè, *la cui dignità, la condizione del quale venga accresciuta, cresca. Ll. De viro in aliquo minùs eminente officio constituto sic dicitur; si sit Fœmina, dicetur* زيد قدرها *zîde kædrühâ* i. *si duo viri* زيد قدرهما *zîde kædrühümâ; si plures,* زيد قدرهم *zîde kædrühüm; Majoribus Officialibus dicetur* زيد مجده *zîde meğduhu*, cujus gloria augeatur; *Cadiis aut Judicibus, Episcopis, &c. dicitur* زيد فضله *zîde fæzlühu*, augeatur illius excellenria, scientia, &c. *Religiosis* زيدت تقواه *zîdet takwâhu*, cujus crescat pietas, &c.

زير *zîr* a. *Pl.* زيرة *ziret*, & ازيار *ezjâr.* Qui consuetudine mulierum delectatur & habere cum iis sermones gaudet, *item* tenuissima testudinis aut citharæ chorda, *&* acutissimus phthongus, nete hyberpolæon, *&* sericum tenue, *seu* tenui formâ tortum, *etiam* linum. *Gol.*

زير *zîr* p. اشغه *asagha.* Sub, subter, infra. *Sotto, di sotto, a basso. Item ex Ni. & Cast.* كسره *kesre*, vocalis ِ, *&* desiderium, voluntas, quicquid sub assato quovis coquitur, *i. e.* in furno assandæ & defixæ carni, quod ad coquendum simul supponitur, *ut oryza.* درزير *der zîr*, اززير *ez zîr*, infernè. *Di sotto.* زيرده *zîrde*, in inferiori parte, infra. *A basso, sotto, nel di sotto.* زيرو بالا *zîrü bâlâ*, & زيرو زبر *zîrü zeber*, sursum deorsum, susque deque. *Sotto, e sopra, sossopra.* زيرو بالايه تجسس *zîrü bâlâje teğessüs* e. Sursum deorsum inquirere. *Cercar sotto, e sopra, per tutto. Eb.* زيرو زبر كردن *zîrü zeber kerden*, vel زيروزبر *zîrü zeber* e. Invertere

vertere susque deque, subvertere. *Riuoltar sotto sopra, rouinare, metter ogni cosa alla rouerscia.* Sic زير و زبر و خاكه برابر *zirü zeber we chāke berāber* t. Susque deque omnia ferre & solo æquare. *Guastare, rouinare, distruggere, e demolire ogni cosa. Se.* و زيركه زير باراوزار اولا *wezir ki zīrī bārī ewzār ola.* Vesirius, Consiliarius, qui oneri criminum subsit, *quod Br. Vn Consigliero, che giace sotto la grauezza de' vizii. Se.* زير پر كرفت قند الننه طوتدي *zīrī perr girift, ka-nad aldyne tutty.* Sub alas accepit *Lo prese sotto l'ale. Phr.* Sic زيرجناح *zīrī genāh, Idem*, sub alas. *Ik.* زير بالنده *zīrī bālinde*, sub ejus alis. *Ik.* زير پاي *zir pāj*, & زيرپا *zīrpā*, *q. pedibus subditus*, tributarius, subditus. *Suddito, che stà sotto i piedi*, & cibi jusculenti genus. زير پاينده *zīrī pājinde.* Sub pedibus ejus. *Sotto i suoi piedi. Ab.* زير دست *zīrī dest*, sub manu, sub potestate. *Sotto la mano, nel potere, sotto'l commando. Sic* زير دستمزده اولان *zīrī destümüzde olan, i. q.* زير حكومتمزده اولان *zīrī hukūmetümüzde olan.* Sub potestate nostra & jurisdictione existentes. *Sottoposti al nostro commando. Ll.* & *ut Comp.* زيردست *zīr dest.* Subditus. *Suddito, vassallo, & in Plur.* زير دستان *zīr destān*, subditi. *Sudditi, vassalli. Se. Ik.* زير تراب *zīrī türāb*, & زير خاك *zīrī chāk*, sub terram. *Sotto terra. Se.* زير زمين *zīrī zemīn. Idem*, sub terram. *Sotto terra, & ut Comp.* Locus subterraneus, crypta, *sive* cella condendæ penûs, *sive* humandis cadaveribus extructa. *Grotta, luogo sotterraneo. Se. Ab.* زير زمين و اوج آسماني تجسسه باشلدى *zīrī zeminü ewgī āsümānī tegessüse bašlady.* Scrutari cœpit & lustrare subterranea loca, cœlique culmen, *i. e.* undequaque inquirere. *Cominciò à cercar per tutto da sotto terra fin' al cielo. Eb.* زير قدممدن *zīrī kademümden.* Inferne ex pedibus meis. *Da sotto i miei piedi.* De dessous mes pieds. *Ab.*

زير *zejjr, i. q.* غضبان *ghæzbān.* Iratus, iracundus. *Gol.*

زيرا *zīrā* p. t. انكچون *anün-ćiün.* Propterea, nam, enim, quia, siquidem. Ders halben/dann/darumb/dieweil. *Perciò, perche, imperoche, perciochè, attesoche.* Pourcela, parceque, car, puisque. Dla czego / zá czym / bo / alboẃiem / poniewaž. زيراكه *zīrāki, Idem. Porrò ex Ni. & Cast.* زيرا *zīrā.* Quidquid sub re alia situm est.

زيرانيدن *zīrāniden* p. *Transit.* τῦ زيريدن

زيرباج *zīrbāğ* a. *pro* زيربا *zīrbā*, & *zirpā* p. Species cibi jusculenti. *Gol.*

زيرپوش *zīrpūš* p. *Comp.* Amiculum interius. *Veste di sotto.*

زيرة *zīret*, *Pl.* τῦ زير *zīr.*

زيرتنك *zir tenk* p. *Comp.* Cingulum jumenti, & Sol. *Cast.*

زيرجامه *zīrğiāme* p. Subligaculum, interula, indusium. *Cast.*

زيرفين *zīrfin* p. Pessulus, *vel* fibula januæ. *Cast.*

زيرك *zejrek*, & *zīrek* p. جست و چابك *ğiüstü ćiapük*, & صاحب عقل *sahyb ākyl. Ni.* Celer, agilis, velox ingenio, manu, opere, intelligens, prudens, astutus, callidus, acutus, versutus. *Cast.* ingeniosus, perspicax. *Perspicace, acuto, sottile, ingegnoso, auueduto, accorto, sagace.* زيرك و عاقل و فكر و فراسته كامل بر جوان نورس بو الهوس *zejregü ākyl we fikrü firāsette kāmil bir ğiüwānī newresī bul hewes.* Juvenis recens adultus, adolescentiam vix prætergressus, curiosus, ingenio acutus, judicio præstans, consilio & industriâ perfectus. *Eb.*

زيركلك *zejreklik*, & زيركي *zejregi.* Præstantia ingenii, perspicacitas, astutia, calliditas. *Acutezza, sottigliezza d'ingegno, perspicacità, arguzia, accortezza.*

زيره *zīre.* Quia, nam. *Tef. pro superiore* زيرا

زيره *zīre* p. كتون كمنون, *kemmūn, kemnūn* Cuminum. *Cumino*; & *ex Cast.* anethum, cepa sylvestris, *Nom.* alterius herbæ, quæ incidi solet pastermaco, *seu* carni siccatæ, & gypsum, dorcadum caterva, signum viæ.

زيريدن *zīrīden* p. اشغه المق *ašagha almak.* Deorsum accipere, ex superiore loco ad inferiorem deponere, & subter esse, subesse. *Cast.*

زيريبان *zīrībān* p. Acetum, in quo tincta fuit & immersa cepa. *Cast.*

زيرين *zīrīn* p. Infernus. *Inferiore. Cast.*

زيز *zīz* a. p. يبان بصل الفار *basalül fār* a. صوغاني *jebān soghani.* Scilla, cepa sylvestris, *quam macerant in aceto, quod* حل زيزي *helli zīzī dicitur.*

زيزا *zejzā*, & *zīzā*, زيزي *zejzā*, & زيزاة *zāzijet*, *Plur.* زيازي *zejāzi.* Grossior duriorque, asperior pars terræ, *item* plumæ earumve extrema, *etiam uti quoque* زيزاءة *zīzāet*, *Pl.* زيازي *zejāzī*, parvus terræ collis. *Gol.*

زيزفون *zīzefūn*, & *zejzefūn* p. Zizypha, *seu* species ejus, quæ fructus nullos profert. *Hel. Cast.*

زيرك

زيزك *zîzek*. Oxyacantha. *Cast.*

زيزم *zîzem*. Vox inarticulata, & susurrus dæmonum. *Gol.*

زيس *zîs* p. طرف *tæræf*. Tractus, latus.

زيستن *zîsten* p. ديرلمك *dirilmek*. Vivere, in vita manere, superstitem esse. *Vivere.* با كس زيستن *bâ kes zîsten*. Convivere, inter se versari, consuetudine frui. *Cast.*

زيش *zîš* p. لوله *lûle*. Tubulus, fistula.

زيغ *zæjgh*, *Act.* Inclinare, declinare *à vero*, & *Solem à meridie* abbreviando umbram, & hebetem evadere visum. *G.*

زيغ *zŷgh* p. حصير *hasyr*. Storea. *Hel.* & *ex Cast.* refricatio amicitiæ, *seu* amoris alieni erga nos, animumve nostrum, stratum quodvis, *seu* res quæque solo insterni solita, & storeæ novæ strepitus, *seu* sonus, *qui etiam* زيغ زيغ *ĵygh ĵygh dicitur. Cast.*

زيغال *zŷghâl*, & زيغال *jîghâl* p. Cyathus, poculum. *Cast.*

زيغن *zŷghæn* p. Res dura. *Cast.*

زيف *zejf*, & زيفان *zejefân*, *Act.* Vacillanter, *vel* jactato in latera corpore incedere *camelum*, tractâ humi caudâ erectoque collo in gyrum ire *columbam marem prope fœmellam*, & properare, *ac* improbum & sequiorem esse *nummum. Gol.*

زيف *zejf*, زيّف *zejjif*, زائف *zâif*, *Pl.* زياف *zijâf*, & ازياف *ezjâf*. Accisus, *vel* improbus *nummus. Gol. Alias*

زيف *zejf*. *Cast. ex Ni*. ناكس *nâkes*. Avarus, tenax, & res quævis, quæ ægrè commeat per manus, improba *moneta*, *etiam de homine malo vel pravâ indole prædito*; & *zîf* immoratus, inhumanitas, inhumani mores. *Cast.*

زيفت *zîfet*. Inurbanè, inurbanitas, rusticitas. *Cast.*

زيق *zŷk*. Collare indusii, pars ejus ambiens collum. زيق الشيطان *zŷkuš-šajtan*. Filamenta telis aranearum similia, quæ fervidiore tempore in aëre volitant. *G.*

زيقال *zŷkâl*, *pro* زيغال *zŷghâl*, *quod V.*

زيك *zîg* p. Amussis architecti, Tabulæ astronomicæ, *pro* زيج *zîĝ*, *quod vide.*

زيكاسه *zikâse*, & زيكاشه *zikâše*. Echinus. *Gol.*

زيكان *zejekân*, *i. q.* تبختر *tebæchtür*. Superbus incessus. *Gol.*

زيكر *zejker*, & زيكمر *zejgmer* p. Digitis, *vel* manu turgidas flatu maxillas pulsare, *vel* talitro ferire, *puerorum lusus est. Cast.*

زيل *zejl*, *Act.* Dimovere *loco*, separare, distinguere, desinere. *Item zejl*, additamentum post conclusionem ghazellæ. *Haf.* (*An pro* ذيل *zejl?*)

زيل *zejel*. Femorum major distantia seu divaricatio. *Gol.*

زيلو *zilû*, & زيلوچه *zilûče* p. *Dimin.* Strati seu stragulæ vestis genus laneum, non villosum, striatum figuratumve diversicolor, *quo pauperiores utuntur, conficitur in Xirvan* (*širwân*) & *Mogan, ubi ovium abundantia. Cast.*

زيم *zim*. Cameli ad minimum duo, & plurium agmen, *scil.* 25. aut circiter, & *zijem*, separata & divisa caro, & disgregatæ pecudes capræve, & *i. q.* غارة *Gol.*

زين *zejn*. *Act. seu* ، زين *zejn* t. Ornare, comere. *Ornare. Se.* & *zejn*)(شين *šejn*) Ornamentum, decus, & crista Galli. *Gol. Ornamento, addobbamento.* طرفة العين نبردار شقايق نعمان اولان خونين كلّهلر ايله عرصهٔ كارزاره زين ويروب *tærfetül-ajn nümûdâri šakâiky nu'man olan chûnin kelleler ile ârsaï kârzâre zejn wirûp.* In nictu oculi adornavit campum pugnæ sanguine conspersis capitibus anemones repræsentantibus, *quod Br. In un batter d'occhio adornò quella campagna con le teste, e col sangue de' nemici. Se.*

زين *zîn* p. *pro* ازاين *ez în*, بوندن *bundan.* Ex hoc, hinc, propter hoc. *Quindi, da questo, perciò.* زين پس *zîn pes*, & زين سپس *zîn sipes*, posthæc. *Cast.* زين ميان *zîn mijân*, ex hoc medio, hinc. *Item*

زين *zîn* p. (*etiam zejn*) ابر *ejer* t. سرج *serĝ* a. Ephippium. *Sella del cavallo.* مرصّع كمر و شمشير ايله اسب زرّين زين كوندرديلر *murassa' kemerü šimšir ile esbi zerrin zîn gönderdiler.* Misit ei gemmatum baltheum, & gladium, ac equum ephippio aureo instratum, *quod Br. Gli mandò una scimitarra gioiellata, & un cavallo generoso, con la sella d'oro. Se.* زين پوش *zîn poš*, ابر اورتوسي *ejer örtüsi*, غاشيه *ghâšije*. Tegumentum ephippii exterius, & ornatius, quod cingulo astringitur ipsi ephippio. زين بيله *zîn bîle*, *pro* زنبيله *zenbîle*. *Cast.* زين كر *zîn ger*, ابرجي *ejerĝi*, سرّاج *serrâĝ*. Qui parat ephippia. Sattler. زين كوه *zîn kûh*, & زين كوهه *zîn kûhe*, ابر قاشي *ejer kaši*. Supercilium ephippii, anterior & posterior ejus pars prominens. Sattelbogen. *Cast.*

زينة *zînet* a. دوزكون *düzgün*. لباس *libâs*, زيور *zîwer*, آرايش *ârâiš*. Ornamentum, apparatus, id quo quis ornatur, *ut vestes, monilia. Ornamento, abbellimento, corredo,*

redo, arredo, fornimento. يوم الزينة *jewmüz-zinet, i. q.* عيد *ȷ̂d*, festum, solemnis dies. *Festa, solennità, giorno di gala.* زينت ويرمك *zinet wirmek*, بزمك *bezemek.* Ornamentum addere, adornare, exornare. *Adornare, addobbare, abbellire, acconciare.* زينت فزا *zinet fezā*, auctor ornamenti, decorator, decus, *ut* اسم سامي و نام كرامى اورخانى زينت فزاي محافل و منابر ديار وكشور اولدغى كبي *ismi sāmī we nāmī kirāmīi orchānī zinet-fezāī mæhāfilü menābirī dijārü kiśwer oldughy gibi.* Excelsum ac gloriosum nomen Orchanis quemadmodum gloriam, decusve adfert Cathedris ecclesiasticorum & Judicum, *quod Br. Si come li pergami ecclesiastici, e li tribunali de' giudici si sono illustrati & ingranditi col nome grande Orchaniano. Se.*

زينتسز *zīnetsyz.* Inornatus, incomptus, absque ornamento. *Senza abbellimento, sconcio.*

زينتلمك *zīnetlemek.* Ornare, &c. *ut* زينت ويرمك *&*

زينتلنمك *zīnetlenmek, Pass.* Ornari, ornatum assequi, &c.

زينتلو *zīnetlü.* Ornatus, comptus. *Ornato, abbellito, vezzoso.*

زينهار *zīnhār* p. *Ik. i. q.* زنهار *zinbār, quod V.*

زينهاري *zīnbārī* p. Tributarius, infidelis, qui tributum solvit. *Cast. i. q.* زنهاري

زيني *zīnī.* Brevipes canis. *Gol.*

زيو *zīw* p. اغچ قوردي *aghać kurdy.* Teredo. *Tarlo.*

زيوار *zīwār* p. كوى يولي *koj joly.* Via pagi.

زيوان *zīwān* p. دلوجه *delüge.* Lolium in tritico crescens ebrietatem & dementiam quandam inducens & grana nigra habens. *Cast.*

زيوح *züjūh. V.* زح

زيودن *zijūden* p. Suaviter, paulatim obdormire. *Cast.*

زيور *ziwer* p. بزك *bezek.* Ornatus ex auro, argento, margaritis, & similibus. *Ornamento, abbellimento, vezzo.* زيور هنردن عاطل اولنلر *zīwerī hünerden ātyl olanler.* Ornamenta virtutis negligentes, otiosi. *Gl'oziosi, che non curano d'ornar l'animo con virtù, e scienze. Se.* زروزيوره مستغرق *zerü ziwere müstæghryk.* Auro gemmisque nitens. *Tutto ricoperto d'oro, e di gemme. Eb.*

زيوف *züjūf, Act.* Accisam esse monetam, *& vulg.* زيوف اقچه *züjūf akćia*, accisa, *vel* improba pecunia, aspra levia, falsa. *Moneta cattiua, leggiera, falsa.*

ژيوه *jiwe, vul. jiwa* p. زيبق *zibek* a. عطارد *ūtārid* a. Argentum vivum, mercurius, hydrargyrum. Queckſilber. *Argento viuo, mercurio.* Vif argent, mercure. Żyw we śrebro.

ژيوەلو *jīwelü.* Ex argento vivo factus, argento vivo imbutus, infectus. *Fatto d'argento viuo, meschiato con argento viuo.*

زيير *zejīr.* Rugitus Leonis. *Gol.*

ﺱ Sin, duodecima Alphabeti Arabico-Turcici litera: in numeris valet 60. in ephemeridibus Solis planetæ character est, Aspectûs autem seu configurationis sextilis. Cast. Estque præterea abbreviatura seu compendiosa nota τῦ السّلام es-selām. Gol.

سا see, sa. Vox inarticulata, quâ ad potum asinus vocatur, unde سأسأة seeseet, Act. Ea voce, dicendo sasa, asinum vocare ad potum. Gol.

سا sā p. خراج كه حاكم مملكت پادشاهه كوندره charāğ ki hākimi memleket pādišāhe göndüre. Tributum, vectigal, quod Regi à Præfectis provinciarum mittitur. Videtur esse pro ساو sāw, quod vide.

سا sā p. & subinde ساي sāj. Part. Comp. à verbo سايدن sājiden, سورجى sürigi, ducens, affricans, ut جبهه سا ğebbe sā, يوز سورجى jüz sürigi, frontem affricans, venerabundus, & جبهه سا ار ğebbe sā ol. q. fronte solum defricando venerari. Far profondissima riuerenza. Pol. Czołem bić. جبين سا ار ğebīn sā ol. Idem V. يوز سورمك Item سا sā, & ساي sāj dictionibus postpositum similitudinem infert, instar; ut عنبرسا âmber sā, عنبر كبى âmber gibi. Instar ambræ. Come ambra. Sic اول معارف سحرسا ol me-ârif'i syhyr sā. Illæ scientiæ magiæ simillimæ. Quelle scienze, che paiono magia. Eh. V. etiam ساي

سأب seeb, Pl. سؤوب süüb. Uter & quidem generis majoris vel theca coriacea, in qua imponitur uter. Gol.

ساپ sap t. Manubrium, &c. V. صاپ

ساباط sābāt, Pl. سوابيط sewābyt, & ساباطات sābātāt. Tabulatum inter duos parietes, subter quo protenditur via. Gol.

سابان sābān p. يول نشانلرى jol nišānleri, نشانلو فرسنكلر nišānlü fersenkler, كروده قالنلر girüde kalanler, دارى قوشلرى dari kušleri, & صغرجق syghyrğik. Ni. Signa viarum, lapides vel pali in terram defixi, quibus parasangæ notantur; retromanentes & superstites post aliquem, passer, sturnus. Cast. Capitelli, pilastri, croci, ò altro segno, per lo più con una mano dipinta per mostrar la strada, distinguer li confini, terminar, ò denotar le miglia, ò leghe.

سابح sābyh, & Pl. سبّاح sübbāh, ac سبحا subehā, Fæm. ة, Pl. sanum, in Fæm. Pl. سوابح sewābyh. Natans, natator. Che nuota, nuotatore: & validè ac velociter incedens equus. Gol.

سابحات sābybāt, Pl. præc. Angeli, fœminæ jejunantes, piæ & Fidelium uxores, item veloces equi, stellæ, pec. planetæ. G.

سابرى sāberī. Vestis pannusve præstantior, tenuis ac subtilis, & laudata species dactylorum, & lorica egregia tenuibus annulis & compactis constans. Gol.

